

C. J. VINKESTEYN.


DE FONTIBUS


EX QUIBUS SCRIPTOR

LIBRI DE VIRIS ILLUSTRIBUS URBIS ROMAE

HAUSISSE VIDETUR

DISPUTATIO.


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS



DE FONTIBUS

EX QUIBUS SCRIPTOR

LIBRI DE VIRIS ILLUSTRIBUS URBIS ROMAE

HAUSISSE VIDETUR

DISPUTATIO.

DE FONTIBUS

EX QUIBUS SCRIPTOR

LIBRI DE VIRIS ILLUSTRIBUS URBIS ROMAE

HAUSISSE VIDETUR

DISPUTATIO.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IOANNIS PETRI NICOLAI LAND

THEOL. DOCT. IN FACULTATE LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

CORNELIUS IOANNES VINKESTEYN

DELPHENSIS.

DIE XV M. JUNII A. MDCCCLXXXVI HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM.

APUD E. J. BRILL.

MDCCCLXXXVI.

TYPIS E. I. BRILL.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

Pergratum mihi accidit, ut spatio Academico decurso grati animi testimonium erga vos, Viri Clarissimi, quorum institutione ut fruerer mihi contigit, palam proferre mihi liceat. Tibi autem longe plurima accepta refero, Clarissime CORNELISSEN, Promotor honoratissime, qui et in studiis Academicis et in hoc libello conscribendo permulta beneficia in me contuleris. Persuasum tibi habeto me tuam in me benevolentiam grato animo semper recordaturum esse.

CAPUT I.

Ex viris doctis, qui de fontibus libri, cui titulus est »de viris illustribus urbis Romae" disputaverunt, primum memorandi videntur qui eum C. Plinio Secundo auctori tribuere conati sunt. Qui ut sententiam suam firmarent probarentque, ex Plinii epistola ad Tacitum (VI, 20, 5) haec afferre solebant: »agebam duodevicesimum annum; posco librum Titi Livi et quasi per otium lego atque etiam, ut coeperam, excerpo." Putabant scilicet hoc libro eadem contineri, quae Plinius e Livii historiis excerpsisset. Cum multa alia tum praecipue hoc illorum sententiae repugnat, quod, ut mox videbimus, Pseudo-Victor persaepe commemorat quae apud Livium non leguntur.

Iam Andreas Schottus (De Auct. vir. ill. III. p. 3, 4. ed. Francof. 1609.) hoc recte vidit: quae tamen ipse de fontibus huius libri coniecit, aeque reicienda videntur. Huius enim iudicio scriptor noster plerumque Graecos auctores secutus est Dionysium, Dionem, Appianum, Plutarchum. At multa apud Pseudo-Victorem cum Graecorum scriptis convenire inde natum esse perspicuum est, quod et hi et ille sua e Romanis fontibus hauserunt.

G. J. Vossius (de Hist. Lat. I, 14.) Pseudo-Victorem pleraque e Nepote desumpsisse iudicat. Cum eo facere videtur J. Perizonius (Animadv. hist. p. 368. ed. Amst. 1685.). Is enim Nepotem in libris nobis deperditis de Marcelli ossibus, a Numidis interceptis et dissipatis, ea tradidisse putat, quae Plutarchus Marc. 30. eum scripsisse rettulit, quod Pseudo-Victor 45, 8. »ossa Romam remissa, a praedonibus intercepta, periisse" narret.

Neque ab iis dissentit J. Arntzenius, qui in Praefatione editionis Aurelii Victoris obiter de fontibus huius libri agit his verbis: »Non alienus essem, si quis ita sentiat eum, qui in Epitomen contraxit Caesares vel alium denique quemcunque Nepotem praecipue mutilasse et in breviores tabulas artasse, ita tamen, ut in plerisque ipsissima verba, quantum id fieri potuit, retinuerit, ex aliis etiam interseruerit nonnulla, unde haud raro factum, ut turpissimi errores in serie Historiae fuerint commissi."

Paulo infra, ubi agam de iis, qui nostra aetate quaestione penitus investigata Pseudo-Victorem praecipue e Nepote pendere demonstrare conati sunt, mihi copia erit exponendi, quid hac de re statuendum videatur.

CAPUT II.

Jam venimus ad Borghesii coniecturam. Quae quum usque ad hanc fere diem Niebuhrio (Hist. Rom. II. p. 518. adn. 1013., III. p. 77. adn. 122.) et Bunseno (Descriptio urbis Romae III. 2. p. 151.) solis probata, a Cardinalio (Inscript. Velit. p. 78.) vero, Beckero (Ant. Rom. I. p. 56. adn. 96.), Zellio (Elogia Romana. p. 41., Manuale artis epigraphicae Romanae. II. p. 216.), Mommseno (C. I. L. I. p. 282.), Hildesheimero (de libro, qui inscr. de vir. ill. urb. Rom. quaest. histor. p. 36—39.) reiecta sit, omnes fere, qui proximis annis de fontibus huius libri disseruerunt, verbo tantum de Borghesii sententia egerunt idque optimo iure, quod nemo »quae Borghesio adulescenti exciderant" [1]) argumentis firmare et stabilire conatus erat. Sed nuper Alexander Enmannus (Philologus. 1883. Suppl. IV. vol. 4. p. 485, seq.) quasi e latebris Borghesii coniecturam protulit primusque argumenta attulit ad eam comprobandam. Quare mihi non supervacaneum videtur paulo accuratius exponere, quae viri docti de hac quaestione iudicaverunt.

Borghesius (Giorn. Arcad. 1819. I. p. 62. Opera. III. p. 10.) opinatur fieri posse ut hoc libello contineantur tituli collecti, qui in Basilica vel Foro alicuius urbis invenirentur. Hos titulos ex iis fluxisse, quos Augustus statuis virorum illustrium, in foro suo positis, subscripserit, veri simile est [2]). Niebuhrius locis laudatis magna admiratione ingenii Borghesii captus hunc libellum ex illis elogiis haustum esse asseverat, sententiam autem probare atque confirmare supersedit. Paulo cautius Bunsenus agit. Borghesii coniectura etiamsi eius iudicio non plane pro-

1) Momms. l.l.

2) Cf. Elogium C. Marii, Arretii inventum, quod plane congruit cum elogii fragmento, Romae effosso. Momms. C. I. L. I. p. 290.

bata est, ei tamen videtur hac potissimum re firmari, quod si eas vitas, quae e titulis, de quibus ante dictum est, fluxisse non potuerunt, excipias — constat enim Augustum eorum tantum statuas collocavisse, qui triumphos egissent [1]) — totidem fere vitae supersint, quot statuas in foro Augusti dedicatas esse demonstrare conatus est. Sed si ea, quae Bunsenus affert, diligentius perpenderis, comperies virum doctum parum observasse quae de statuis in foro Augusti collocatis antiqui scriptores nobis tradiderunt. Certum est in foro Augusti multas statuas fuisse virorum, de quorum vitis Pseudo-Victor non egit, ut Aeneae, ut regum Albanorum, ut M. Valerii Maximi, ut L. Albini, ut L. Furii Camilli (cos. a. 405.). Ovidius [2]) nobis luculenter ostendit Aeneae et regum Albanorum statuas in foro Augusti collocatas fuisse. Titulos statuis M. Valerii Maximi, L. Albini, L. Furii Camilli subscriptos, quorum primus Arretii, ceteri Romae inventi sunt, e foro Augusti originem trahere Mommsenus (C. I. L. I. p. 282.) probabile fecit. Denique multa sunt, quae nobis ostendunt in foro Augusti non tantum maiorum statuas collocatas fuisse sed etiam eorum, quibus a senatu triumphalis statua decreta esset. Qui mos, ab Augusto institutus [3]), usque ad Traianum permansit [4]). Itaque etiamsi numerus statuarum in foro Augusti positarum conveniat cum numero vitarum virorum

---

1) Cf. Suet. Aug. 31. proximum a dis immortalibus honorem memoriae ducum praestitit (Augustus), qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque et opera cuiusque manentibus titulis restituit et statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit.

Hor. Od. IV, 8, 13.

Non incisa notis marmora publicis
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus.

2) Ovid. Fast. V, 563.

.... videt (Mars) Aenean oneratum pondere caro
Et tot Iuleae nobilitatis avos.

3) Cf. Dio Cass. LV, 10, qui inter privilegia aedis Martis Ultoris haec memorat: *καὶ ἐκείνους* (qui triumphos agunt) *τε καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς τὰς ἐπινικίους τιμὰς λαμβάνοντας ἐν τῇ ἀγορᾷ χαλκοῦς ἵστασθαι.*

4) Cf. Inscript. (apud Orell. 3187.) Senatus supplicationes dis immortalibus [et auctore] imp. Caes. Nerva Traiano Aug. Germ. Dacic. senatus ornament(a) triumphal(ia) decr(evit) statuamq. in foro Aug(usti) ponendam censuit.

Tac. Ann. IV, 15. XV, 72.

triumphalium, id casu factum esse iudices necesse est neque inde colligere licet elogia, iis statuis subscripta, a Pseudo-Victore adhibita esse in vitis eorum virorum conscribendis. Constat enim permultas statuas in foro fuisse eorum, quorum vitae in hoc libello plane desiderantur, ex quo sequitur ut permultae vitae virorum triumphalium restent, quae originem e statuis, in foro Augusti collocatis, traxisse non possint.

Beckerus, quocum plane consentit Zellius, Borghesii coniecturam redarguit, quod apud Pseudo-Victorem multi errores inveniantur, qui e titulis nasci non potuerint [1]) et quod vitae hostium nomini Romano infestissimorum, quae ex iis elogiis manare non potuerint, prorsus eodem modo conscriptae sint quo Romanorum vitae. Etiamsi libenter Beckero assentior, Borghesii coniecturam reicienti, tamen non supervacaneum esse videtur monere eius argumenta tantum valere ad redarguendam sententiam eius, qui eas vitas exempla eorum elogiorum esse putet.

Mommsenus obiter tantum de Borghesii coniectura egit, sed quae ipse de elogiis contulit, luce clarius ostendunt hunc librum ex iis pendere non posse.

Hildesheimerus et Enmannus pleraque esse in elogiis, quae iisdem, quibus a Pseudo-Victore, verbis narrentur et apud alios scriptores prorsus desiderentur, demonstraverunt. Unde uterque plane diversa collegit. Hildesheimeri iudicio Pseudo-Victor elogia secutus non est. Primum enim Ampelii librum memorialem id redarguere. Nam si Pseudo-Victor praeter elogia alium auctorem secutus esset, e quo, quae in elogiis non tradantur, hausisset, quomodo — ita rogat — fieri potuit ut Ampelius permultis locis cum Pseudo-Victore plane congrueret? Non enim veri simile esse contendit utrumque praeter elogia eundem auctorem usurpasse. Deinde ne cogitari quidem posse Pseudo-Victorem et Ampelium eundem auctorem secutos esse, qui elogia iis, quae ex aliis fontibus desumpsisset, auxerit. Nam si Q. Fabii vitam a Pseudo-Victore conscriptam contuleris cum Q. Fabii elogio, videbis et elogium et

---

1) Cf. 13, 5., ubi de Cloelia haec leguntur: „Huic statua equestris in foro posita" 21, 3 de Verginio: „Corpus eius (filiae) humero gerens ad exercitum profugit." 34, 7. de Appio Claudio Caeco: „viam usque Brundusium lapidibus stravit,... aquam Anienem in urbem induxit."

Pseudo-Victorem, etiam in iis, quae in elogio non inveniantur, cum Plutarcho congruere, »qui in Q. Fabii vita describenda prorsus eodem ac Noster ordine res exponat et omnia illa ad elogium additamenta non modo tradat verum etiam eodem quo ille loco tradat [1]).“ Unde Hildesheimeri sententia sequitur, auctorem, quem Pseudo-Victor et Ampelius secuti sint, ex quo Plutarchum quoque in Fabii vita pendere veri simile sit, non elogia pro fonte habuisse, sed ea, quae et Pseudo-Victor et Plutarchus et elogium tradant, ex eo auctore hausta esse.

Etiamsi Enmannus Hildesheimero libenter assentitur multa in elogiis esse, quae cum iis, quae apud Pseudo-Victorem inveniuntur, congruant, attamen non probat, quae ille inde collegit. Primum negat fieri potuisse ut duo epitomarum scriptores (elogiorum auctor et Pseudo-Victor) — nam infra videbimus eum putare hunc libellum ex maiore libro excerptum esse — ex iisdem vitis, quae sine dubio multis verbis conscriptae fuerint, eadem desumerent et in hac re ita agerent, ut non solum ea, quae traderent, sed etiam verba, quibus traderent, eadem essent. Deinde ostendit ea iam Hildesheimerum fallere, quae ad sententiam probandam attulerit. Nam in vita Fabii non ea, quae Plutarchus narrat, eodem ordine narrata esse quo apud Pseudo-Victorem (de vir. ill. 5 = Plut. 20, de vir. ill. 7 = Plut. 7). Postremum iudicat auctorem, quem Pseudo-Victor et Ampelius secuti sint, elogia pro praecipuo fonte habuisse et inde apud eos consensum cum elogiis ortum esse.

Antequam expono, quid hac de re sentiam, non alienum videtur accuratius elogia cum iis vitis comparare.

Elogium Romuli. C. I. L. I. p. 283.	de vir. ill. 2.
— isque primus dux duce hostium Acrone rege Caeninensium interfecto spolia opima Iovi Feretrio consecravit [2]), receptusque in deorum numerum Quirini nomine appellatus est.	— ac ducem Acronem singulari certamine devicit, spolia opima Iovi Feretrio in Capitolio consecravit..... ipse pro deo cultus et Quirinus est appellatus.

1) Hildesheim. l.l. p. 39.

2) Eadem verba in elogiis et in vitis, quae Hildesheimerus, litteris paulo latiore spatio distinctis exprimenda curavi.

Quae apud utrumque narrantur aliunde satis nota sunt. »De Acrone, a Romulo interfecto, Livius et Dionysius tacent, sed Augustus cum in restituenda Iovis Feretrii aede ad spolia templi eius attendisset (Liv. IV, 20, 7) et poëtae (Cf. Prop. V, 10) et viri docti eius aevi (Cf. Fest. v. Spol. opima. Val. Max. III, 2, 3.) spolia illa opima celebrarunt. Unde etiam in fori Augusti gestis ea comparent." (Momms. C. I. L. l. l.) Contra Aldenhovius (Herm. V. p. 153) nomine Acronis, in hac vita tradito, adducitur, ut Pseudo-Victorem antiquo fonte usum esse putet. Quidquid hac de re statuendum est, Pseudo-Victor non idcirco ex elogio pendere putandus est, quod et in elogio et apud eum nomen Acronis invenitur. Nam fieri posse ut id nomen aliunde cognoverit luce clarius est. Neque nobis licet similitudine verborum (spolia opima Iovi Feretrio consecravit) fretis putare eum, qui hunc libellum conscripserit, elogia secutum esse. Nam hoc loquendi genus aliis quoque locis invenimus, ubi de spoliis opimis agitur (Cf. Val. Max. III, 2, 4. 6).

Elogium M. Furii Camilli. C. I. L. I. p. 285.	de vir. ill. 23, 10.
Veios post urbem captam commigrari passus non est.	Populum Romanum migrare Veios volentem retinuit.

Res nota e Liv. V, 50, seq. et Plut. Cam 31.

Elogium L. Papirii Cursoris. C. I. L. I. p. 287.	de vir. ill. 31, 1.
Bello Samnitium cum auspicii repetendi causa Romam redisset atque interim Q. Fabius Ambustus Maximus magister equitum iniussu eius proelio conflixisset....	Cum consulem se (L. Pap. Curs.) adversis ominibus adversum Samnitas progressum esse sensisset ad auspicia repetenda Romam regressus edixit Fabio Rulliano, quem exercitui imponebat, ne manum cum hoste consereret. Sed ille... pugnavit.

Non disputabo de Papirii consulatu, quem Pseudo-Victor commemorat, quia in proximo capite recte Fabium magistrum equitum vocat. Pseudo-Victor cum omnibus aliis de Fabio Rulliano sive Rullo [1]), agit qui in elogio solo Ambustus dicitur, quod

1) Cf. Liv. XXIV, 9, 8. XXX, 26, 8. Dio Cass. fr. 36. Nonnulli Pseudo-

cognomen patri M. Fabio Ambusto (cos. 394, 398) et fratribus M. Fabio Ambusto (mag. eq. a. 432) et C. Fabio Ambusto (mag. eq. a. 439) inditum erat. »Nisi forte dictator a. 433 Q. Fabius Ambustus (Liv. IX, 7, 13.), praeterea ignotus, fuit ipse Q. Maximus Rullianus et cognomen, ex vetustioribus annalibus hoc uno loco relictum, effecit, ut diversus ab eo haberetur". (Momms. C. I. L. l. l.)

Elogium Appii Claudii Caeci.
C. I. L. I. p. 287.

Complura oppida de Samnitibus cepit, Sabinorum et Tuscorum exercitum fudit.... In censura viam Appiam stravit et aquam in urbem adduxit.

de vir. ill. 34, 6. 7.

Sabinos, Samnitas, Etruscos bello domuit. Viam usque Brundusium lapidibus stravit. Aquam Anienem in urbem induxit.

Sabinos ab Appio Claudio bello domitos esse elogium et Pseudo-Victor soli tradunt. De via Appia strata et de aqua in urbem inducta iisdem quidem verbis agit Pseudo-Victor atque elogium sed utitur solito loquendi genere, ubi his de rebus mentio fit [1]). Quae Beckerus l. l. affert ut ostendat Pseudo-Victorem elogia non secutum esse, quod viam ab Appio usque ad Brundusium stratam esse tradat et aquam, ab eo in urbem inductam, Anienem vocet, non magni momenti habenda sunt, si cum Enmanno praeter elogia alios fontes a Pseudo-Victore usurpatos esse putes. Nam nomen Anienis aut Pseudo-Victoris aut librarii errori tribuendum est. Pseudo-Victor autem tradens viam usque ad Brundusium ab Appio Claudio factam esse, — quo eius aetate perductam fuisse constat — more suo [2]) res antiquas, quomodo eo vivo sese habebant, describit.

Victoris codices exhibent Rullum, alii Rutilium aut Rutilianum aut Rutilanum. Apud alios quoque scriptores librarii eodem modo in Fabii cognomine scribendo erraverunt (Liv. VIII, 29, 10. Val. Max. II, 7, 8. Front. Strat. IV, 1, 39.)

1) Cf. Eutr. II, 9. Appius Claudius censor aquam Claudiam induxit et viam Appiam stravit. Liv. IX, 29, 6. Aquam in urbem duxit. Cic. pro Coelio 14, 34. Ideo aquam adduxi.

2) Cf. c. 11, 2., ubi narrat statuam Horatio Cocliti in Vulcanali collocatum esse, quo, postquam de coelo tacta est, e comitio transpositam esse Gell. IV, 5 tradit.

Elogium Q. Fabii.
C. I. L. I. p. 283.

Q. Fabius Q. F. Maximus Dictator II, Cos. V, Cens., Interrex II, Aed. cur., Q. II, Tr. mil. II, Pontifex, Augur. Primo consulatu Ligures subegit, ex iis triumphavit. Tertio et quarto Hannibalem compluribus victoriis ferocem subsequendo coërcuit. Dictator magistro equitum Minucio, cuius populus *imperium* cum dictatoris imperio *aequaverat*, et exercitui profligato *subvenit* et eo nomine ab exercitu Minuciano pater appellatus est. Consul V Tarentum cepit, triumphavit. Dux aetatis suae cautissimus et rei militaris peritissimus habitus est. Princeps in senatum duobus lustris lectus est.

De vir. ill. 43.

Q. Fabius Maximus Cunctator, ut Verrucosus a verruca in labris ita Ovicula a clementia morum, consul de Liguribus triumphavit. Hannibalem mora fregit. Minucium magistrum equitum *imperio* sibi *aequari* passus est, nihilominus periclitanti *subvenit*. Hannibalem in agro Falerno inclusit. Marium Statilium transfugere ad hostes volentem equo et armis donatis retinuit et Lucano cuidam fortissimo ob amorem mulieris infrequenti eandem emptam dono dedit. Tarentum ab hostibus recepit, Herculis signum inde translatum in Capitolio dedicavit. De redemptione captivorum cum hostibus pepigit, quod factum cum a senatu improbaretur fundum suum ducentis millibus vendidit et fidei satisfecit.

Quia et Hildesheimero et Enmanno consensus eius elogii cum Q. Fabii vita, a Pseudo-Victore conscripta, maximi momenti videtur esse ad sententias probandas firmandasque, totum elogium totamque vitam exscripsi. Iam vidimus utrumque observasse consensum qui inter Fabii vitas, a Pseudo-Victore et a Plutarcho conscriptas, exstat. Recte Enmannus demonstravit Pseudo-Victorem Plutarchum ipsum non secutum esse. Nam neque transfugae nomen, *Marius Statilius*, neque quanti fundum Fabius vendiderit apud Plutarchum traditum est. Quibus addendum est Lucano mulierculam, quam perdite amabat, apud Pseudo-Victorem *emptam*, apud Plutarchum *captam* [1]) dono datam

1) Plut. Fab. 20. συλλαβὼν τὸ γύναιον ..... ἐνεχείρισεν αὐτῷ.

esse. Supra exposuimus quibus de causis Enmannus Hildesheimeri sententiam non probaverit, qui iudicet et Pseudo-Victorem et elogium et Plutarchum in vita Fabii conscribenda ex eodem auctore sua hausisse. Contra Enmannus putat consensum Pseudo-Victoris cum Plutarcho inde natum esse, quod auctor, quem Pseudo-Victor secutus sit, in Fabii vita praeter elogium librum aliquem, »de factis et dictis memorabilibus" adhibuisset, quales libros, qui sine dubio omnes e communi fonte manaverint, Plutarchum usurpasse veri simile sit. De iis, quae in eam vitam ex elogiis fluxisse putat, his verbis disserit (p. 486): »Aut Pseudo-Victor aut auctor, e quo pendet, cum tantum narret Fabium consulem ea gessisse, quae in elogio per primum, tertium, quartum consulatus dictaturamque distribuantur, hos Fabii honores in unum contraxit. Elogii verba: »Ligures subegit, ex iis triumphavit" apud Pseudo-Victorem contracta sunt in: »de Liguribus triumphavit." Verba »Hannibalem mora fregit" non ex elogio, ubi »Hannibalem coërcuit," sed e Floro desumpta sunt (»Annibalem, ut, quia frangi virtute non poterat, mora comminueretur." I, 22, 28). Quae Fabius dictator egit apud utrumque maiorem partem iisdem verbis narrata sunt. Denique de Tarento capto uterque eodem fere modo agit."

Si licet libere dicere quae sentio, argumenta, quae Enmannus attulit, non magni momenti mihi videntur. Primum quae in elogio et apud Pseudo-Victorem conveniunt aliunde satis nota sunt. Fabium et de Liguribus subactis triumphasse [1]) et Hannibalem mora fregisse et Minucio, qui dictatori aequatus esset, subvenisse et Tarentum cepisse apud multos alios scriptores tradita sunt. Deinde non necesse est, ut quae a Pseudo-Victore de triumpho, quem Fabius de Liguribus egerit, narrantur, ex elogii verbis: »Ligures subegit, ex iis triumphavit" contracta sint. Saepius enim Pseudo-Victor ne verbo quidem commemorat populum quendam bello domitum esse; de eo triumphatum esse tantum tradit [2]). Quae Enmannus attulit de Fabii

1) Plut. Fab. 2. Zon. VIII. 18. p. 401. B. Fasti Capit. C. I. L. I. p. 458.

2) Cf. 6, 8. De Sabinis et Priscis Latinis triumphavit. 15, 1. Publius Valerius... primum de Veientibus, iterum de Sabinis, tertio de utrisque gentibus triumphavit. 18, 1. Menenius Agrippa, dux electus adversum Sabi-

honoribus, a Pseudo-Victore non traditis, non multum valere ad eius sententiam firmandam mihi videntur. Nam cuivis, qui has vitas paulo accuratius perlegit[1]), luce clarius est, Pseudo-Victorem tantum narrasse, Fabium consulem fuisse cum de Liguribus triumpharet. Perraro enim Pseudo-Victor enumerat magistratus quos quis in rebus gerendis gessit. De verbis »Hannibalem mora fregit" infra agemus, ubi de consensu Pseudo-Victoris cum Floro disputabimus. Et Enmannus et Hildesheimerus inprimis ostendere conati sunt quantum Pseudo-Victor cum elogio congruat in iis, quae de Minucio magistro equitum narrantur. Sed cum ad rem ipsam non ad verba animum advertimus, videmus eum consensum casu ortum neque inde colligendum esse Pseudo-Victorem ex elogio pendere. Primum enim aliis quoque locis, ubi hac de re agitur, legimus magistri equitum imperium cum dictatoris imperio aequatum esse[2]). Denique verbum subveniendi, quod apud utrumque legimus, saepius, cum de auxilio ferendo agitur, adhibetur, quam ut inde colligere liceat alterum ex altero pendere.

Elogium L. Aemilii Pauli. C. I. L. I. p. 289.	de vir. ill. 56, 1. 3.
— Liguribus domitis priore consulatu triumphavit. Iterum consul... factus est... regemque cum filiis cepit.	— primo consulatu, quem post tres repulsas adeptus erat, de Liguribus triumphavit. Iterum consul Perseu Philippi filium regem Macedonum apud Samothracas cepit.

nos, de his triumphavit. 27, 1. Publius Decius... primo consul de Samnitibus triumphavit. 32, 1. Quintus Fabius Rullianus primum de Apulis et Lucerinis, iterum de Samnitibus, tertio de Gallis, Umbris, Marsis atque Tuscis triumphavit. 33, 3. M. Curius Dentatus iterum de Sabinis triumphavit. Tertio de Lucanis ovans urbem introivit. 50, 1. Livius Salinator primo consul de Illyriis triumphavit. 2. Iterum... de Hasdrubale triumphavit. 56, 1. Lucius Paullus Aemilius de Liguribus triumphavit. 62, 1. Quintus Caecilius Metellus, qui consul de Iugurtha rege Numidiae triumphavit.

1) Quod Enmannum diligentissime fecisse libenter fateor. Quo magis mirandum est eum hanc Pseudo-Victoris consuetudinem non observasse.

2) Liv. XXII, 25, 11. de aequando magistri equitum et dictatoris iure. 26, 7. de aequato imperio. 27, 3. dictatorem magistro equitum... aequatum. 5. quemadmodum imperio aequato utantur. Val. Max. III, 8, 2. dictatori ei magistrum equitum Minucium iure imperii senatus aequaverat.

Hildesheimerus recte adnotat ceteros omnes scriptores tradere Aemilium Paulum proconsulem non consulem de Liguribus triumphasse. (Cf. Liv. XL, 34, 7. L. Aemilius Paulus proconsul de Liguribus triumphavit). Attamen id non magni momenti habendum est. Primum in elogio et in vita, conscriptis tam paucis verbis, exspectari non potest ut, si quis de populo, quem consul domuisset, proconsul triumphum egerit, de utroque magistratu a scriptoribus mentio fiat. Hoc tantum agunt, ut tradant ab eo, cuius res gestas describant, populum aliquem, cum consul esset, subiectum esse, sed parum curant utrum eodem, quo consulatum gesserit, an proximo anno triumphaverit. Deinde, ut supra vidimus, Pseudo-Victor saepe de triumphis ita tantum agit, ut quam brevissime populum aliquem subiectum esse narret neque igitur mirandum est Pseudo-Victorem facere Aemilium triumphantem de Liguribus quo anno eos domuerit. Itaque puto eum errorem, qui et in elogio et apud Pseudo-Victorem commissus est, non ex communi fonte (Hildesh.) aut quod alter alterum descripserit (Enmann.) sed e rei natura ortum esse, ut in rebus enarrandis brevitati consuleretur.

Non multis verbis disputandum est ut ostendamus verba »regem cepit", quae apud utrumque occurrunt, nihil valere ad consensum Pseudo-Victoris cum elogio probandum. Primum verba non eodem ordine ab utroque scripta sunt, nam regem apud Pseudo-Victorem appositum est substantivo filium. Et si uterque quam simplicissime regem comprehensum esse verbis »regem cepit" narrat, num licet eorum verborum congruentia uti ad probandum alterum ex altero pendere?

Elogium C. Marii. C. I. L. I. p. 290.	de vir. ill. 67, 1. 2.
C. Marius septies consul pr. tr. pl. quaestor aug. tr. militum — eum (Iugurtham) cepit et triumphans ante currum suum duci iussit. Tertium consul absens creatus [1]. IV cos. Teutonarum exercitum dele-	C. Marius septies consul primis honoribus per ordinem functus. — Iugurtham captum ante currum egit. In proximum annum consul ultro factus Cimbros in Gallia apud Aquas Sextias, Teutonas in Italia in

1) Cf. Liv. Ep. 67. Marius secundo et tertio absens consul creatus.

vit, V cos. Cimbros fudit, ex illis et Teutonis iterum triumphavit.	campo Raudio vicit deque his triumphavit.

Non opus est multis verbis ostendere non necesse esse, ut ea, quae Pseudo-Victor tradit de Mario septies consule et de Iugurtha capto et ante Marii currum in triumpho acto ex elogio vel ex eodem fonte quo elogium manaverint. Et res ipsae apud unumquemque scriptorem, qui de Mario agit, memorantur et verba, quibus in elogio et apud Pseudo-Victorem narrantur, saepe, ubi de iis rebus mentio fit, leguntur [1]). Ea ipsa, quae Hildesheimerus attulit ad consensum inter Pseudo-Victorem et elogium in iis, quae de Marii quaestura tradunt [quaestor (elog.) — primis honoribus per ordinem functus (de vir. ill.)], demonstrandum maxime redarguunt quod probare studet. Scribit »De Marii quaestura praeter Nostrum et elogium solus Valerius Maximus VI, 9, 14 [2]) mentionem facit." Sed nonne e verbis »primis honoribus per ordinem functus" colligendum est Marium aedilem quoque curulem fuisse, de quo magistratu elogium plane tacet. Hoc loco igitur Pseudo-Victor cum elogio non congruit. Magnaque est inter eos controversia de tempore, quo Marius cum Teutonibus et quo cum Cimbris pugnavit. Pseudo-Victor Marium III consulem (anno postquam de Iugurtha triumphaverat) contra eos pugnantem deque iis triumphantem facit populosque inter se confudit cum, ut recte [3]) elogium tradit, Marius V consul Teutones (apud Aquas Sextias), VI consul Cimbros (in campo Raudio) profligaverit.

Elogium L. Luculli. C. I. L. I. p. 292.	de vir. ill. 74, 4.
Collegam suum pulsum—cum se is Chalcedona contulisset, obsidione liberavit.	Collegam suum Cottam Chalcedone obsessum liberavit.

1) Cf. Eutr. IV, 27: Ante currum Marii Iugurtha cum duobus filiis ductus est. Liv. Ep. 67: In triumpho C. Marii ductus ante currum eius Iugurtha cum duobus filiis.

2) Quibus addenda est Inscriptio (C. I. L. I. p. 277):

C. Marius. C. F.
Cos. VII. pr. trib. pleb.
Q. aug. tr. mil.

3) Cf. Liv. Ep. 68. Plut. Mar. 15—21. 24—27. Vell. II. 12, 4. 5. Flor. I, 38, 7—14.

Res satis nota e Plut. Luc. 7, App. Mithr. 71, Eutr. VI, 6. Etiamsi iis locis non ipsis verbis traditur Cottam a Lucullo liberatum esse, id sequatur necesse est ex iis, quae de Cyzico obsidione liberata narrantur. E verborum congruentia nihil est colligendum, quia uterque quam simplicissimis verbis res ibi gestas narrant.

Elogium Scipionis Aemiliani. (apud Plin. Nat. Hist. XXII, 13.)	de vir. ill. 58, 4.
Aemilianum quoque Scipionem Varro auctor est donatum obsidionali (corona) in Africa Manilio consule tribus [1]) cohortibus servatis totidemque ad servandas eas eductis, quod et statuae eius in foro suo divus Augustus subscripsit.	Tribunus in Africa sub M'. Manilio imperatore cohortes octo obsidione vallatas consilio et virtute servavit, a quibus corona obsidionali aurea donatus.

Res etiam nota e Vell. I, 12, 4. »in Africa obsidionali corona donatus est". Livium in libro undequinquagesimo idem narrasse veri simile est (Cf. Ep. 49). Luce clarius est verborum consensum hic nihil valere ad probandum Pseudo-Victorem ex Elogio pendere.

Vidimus Pseudo-Victorem et elogia iis locis, ubi congruunt, res aliunde satis notas tradere. Una tantum res apud utrumque invenitur, de qua ceteri omnes tacent, Sabinos ab Appio Claudio domitos esse. Contra Q. Fabius Maximus apud Pseudo-Victorem Rullianus, in elogio Ambustus vocatur et elogium ne verbo quidem de Marii aedilitate agit, de qua Pseudo-Victor mentionem facit. Quanta sit controversia inter Pseudo-Victorem et elogium in iis, quae de Teutonibus Cimbrisque profligatis tradunt, paulo ante exposuimus. Et quum ad verba, quae apud utrumque congruunt, animum attendimus, vidimus hunc consensum aut apud multos alios scriptores, qui de iisdem rebus agunt, inveniri aut inde ortum esse, quod uterque quam simplicissimis verbis idem narrare studuerit iisque verbis usus sit, quibus nemo non in

1) „Numerorum discrepantia nullius momenti est, quoniam quantum in numeris potissimum librarii peccaverint, notum est." Hildesh. l.l.

talibus rebus uteretur. Neque mirandum est Pseudo-Victorem et elogium, etiamsi nulla inter eos exstet affinitas, nonnumquam eadem iisdem fere verbis narrare. Nam ex ipsa rei natura sequitur, ut, si qui homines de iisdem rebus quam simplicissime et quam brevissime agant, saepe iisdem verbis eadem tradant. Denique quis est quin neget non idcirco Pseudo-Victorem ex elogio pendere, quod uterque Sabinos ab Appio Claudio domitos esse narret? Etiamsi ceteri hac de re tacent, in nonnullis annalibus vel in aliis scriptis, quae nobis deperdita sunt, id traditum fuisse veri simile est, unde auctores, quos uterque secutus est, sua hauserint.

His omnibus expositis et perpensis ea, quae de Pseudo-Victoris cum elogiis consensu nonnulli viri docti scripserunt, non satis firmis argumentis niti ideoque reicienda esse mihi videntur.

CAPUT III.

M. Meyerus (Zimmerm. Zeitschr. für die Alterthumsw. II. 1835. p. 1043) hunc librum, qui maximam partem e Livio pendeat, a viro docto quodam saeculo quarto vel quinto decimo compositum esse putat. Quae coniectura, quam nullis argumentis probare studuerit, silentio praeteriri potest.

Ulricus Koehlerus (Qua ratione T. Livii Ann. usi s. hist. lat. atque gr. pag. 41, seq.) demonstrare conatus est Pseudo-Victorem in eo libro ea, quae e Livio desumpsisset, aliis rebus, aliunde petitis, auxisse. De hac coniectura Hauptius (De Auct. de vir. ill. libr. quaest. hist. p. 11, seq.), Hildesheimerus (l. l. p. 17, seq.), Rosenhauerus (Symb. ad quaest. de font. libr. *qui* inscr. de vir. ill. urb. Romae. p. 35, seq.) multis verbis egerunt. Infra ostendam me libentissime facere cum Rosenhauero, qui exposuerit nulla vestigia Liviana in hoc libello inveniri et consensum Pseudo-Victoris cum Livio inde ortum esse, quod uterque saepissime ex iisdem fontibus hauserit.

Non opus est agere de Mommseni coniectura, qui putat fieri potuisse, ut Pseudo-Victor iuxta Livium Valerium Antiatem pro principe fonte haberet (Herm. I. p. 168 = Quaest. Rom. II. p. 430), nam »Iordano teste (Herm. VI. p. 207) Mommsenus abiecta illa priore coniectura Cornelii Nepotis libros auctorem nostrum secutum esse sibi persuasit" [1]). Qua de re infra agam, ubi de Hauptii sententia, qui idem ostendere studuit, disputabo. Quo loco Mommsenum recte quaedam Antiatis vestigia apud Pseudo-Victorem observasse etiam videbimus.

C. Aldenhovii coniectura (Herm. V. p. 153), qui putat Pseudo-Victorem L. Calpurnii Pisonis annales secutum esse, reicienda

1) Haupt. l.l. p. 6.

est propterea, quod, si Pseudo-Victorem cum Pisonis fragmentis comparamus, multa invenimus, quae apud utrumque diversa narrantur, velut ea, quae traduntur de Tarpeia (de vir. ill. 2, 5. 6. — Piso fragm. 5 [1]) = Dion. Hal. II, 38, seq.), de Tarquinii Superbi genere (de vir. ill. 7, 15. — Piso fragm. 15 = Dion. Hal. IV, 7), de Spurio Maelio interfecto (de vir. ill. 17, 5. — Piso fragm. 24 = Dion. Hal. XII, 4). Quamquam Pisonis vestigia apud Pseudo-Victorem passim inveniri, ut Rosenhauerus [2]) ostendit, libenter ego concedo.

G. Soltavii iudicio (de font. Plut. in II bello Punico enarrando p. 102) pauca capita Pseudo-Victorem e Coelii Antipatri voluminibus excerpsisse eo veri simile est, quod in Q. Fabii vita conscribenda eodem fonte usus esse videatur quo Plutarchus, quem Coelium Antipatrum pro principe fonte in hac vita adhibuisse ostendere Soltavius conatus est (p. 70, seq.). Quidquid hac de re statuendum est, admonendum cum Hildesheimero (p. 8) videtur non omnia, quae de bellis Punicis Pseudo-Victor tradidit, e Coelianis annalibus desumpta esse (Cf. de vir. ill. 49, 4: Decem et octo annorum patrem apud Ticinum singulari virtute servavit (Scipio Africanus). — Coel. Ant. fragm. 17 = Liv. XXI, 46, 10: Servati consulis decus Coelius ad servum natione Ligurem delegat; malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores et fama obtinuit.). De Soltavii sententia pluribus disputandi nobis copia erit, ubi de Q. Fabii vita agemus.

De coniecturis E. Woelfflini (De Lucii Amp. libr. memor. quaest. crit. et hist. p. 35), qui Pseudo-Victorem et Ampelium Hyginum secutos esse putat, L. Spengelii (Act. acad. Monac. XXXVI. 1863. p. 348) et C. Heynii (De Floro Hist. p. 6), qui Pseudo-Victorem praeter alios uberiores fontes Florum usurpasse probare studuerunt, infra, quid statuendum sit, exponemus.

---

1) Apud H. Peterum. Hist. Rom. fragm.
2) ll. p. 40, seq.

CAPUT IV.

Hermannus Hauptius primus quaestionem de fontibus huius libri penitus investigavit. Anno 1876 dissertationem, quae inscripta est »De auctoris de viris illustribus libro quaestiones historicae," edidit. Cuius disputationis haec summa est: eum, qui librum de viris illustribus scripserit, »longe maiorem libelli sui partem ex libro de viris illustribus composito excerpsisse, nonnullas autem narratiunculas et paucorum virorum vitas, quae in illo libro defuerint, totas aut ex Livio aut ex aliis scriptoribus desumpsisse." (p. 12). Illum librum de viris illustribus compositum, e quo Pseudo-Victor pendeat, Nepotis esse probare studuit (p. 27—36). Consensum Pseudo-Victoris cum Floro inde ortum esse putat, quod Florus iisdem, quibus Pseudo-Victor, fontibus, Livio et Nepote, usus sit. (p. 15—27).

Hauptius primum eorum sententiam sequitur, qui Ampelium ea, quae de exterarum gentium ducibus tradiderit, e Nepote desumpsisse iudicant [1]). Deinde Ampelium conscribentem, quae Romani imperatores gesserunt, etiam eorum vitas a Nepote descriptas secutum esse veri simile putat. Quod autem Pseudo-Victor et Ampelius artissime inter se congruant, Pseudo-Victorem quoque Nepotem pro principe fonte habuisse coniecit. Neque in hac re cum Woelfflino facit, qui, quod nonnulla, quae Pseudo-Victor de Hannibale tradat, discrepent ab Hannibalis vita, a Nepote conscripta, Ampelium (capitibus 14, 15, 32, ubi de exterarum gentium ducibus agitur, exceptis) et Pseudo-Victorem non Nepotem sed Hyginum secu-

1) Rinckius Proleg. ad Aem. Prob. edt. Roth. p. 13.
Tzschuckius. Dissert. de Amp. 7.
Beckius. Edit. Amp. p. 75.
Woelfflinus. l.l. p. 32, seq.

tum esse iudicat. Quod argumentum Hauptio non magni momenti esse videtur. Primum enim sic existimat fieri potuisse ut Pseudo-Victor in Hannibalis vita sua aliunde atque ex illo fonte, quo Ampelius usus sit, hauriret. Sed, ut Hauptii argumentis utar, si Ampelius, sicut in exterarum gentium ducum vitis Nepotem sequatur, ita in Romanorum imperatorum eundem auctorem adhibuisset, nonne etiam veri simile esset Pseudo-Victorem in exterorum ducum vitis e Nepote pendere, ex quo sua in Romanorum vitis desumpsisset? Deinde Woelfflinum admonet Rinckii iudicii (l. l. p. 54), qui eam Hannibalis vitam, quam nos Nepoti tribuimus, »posteriore tempore compositam esse putat, quo istud scriptum de Hannibale seu Marcello non amplius exstitisset, cum ea quae Plutarchus Nepotem de Hannibale tradidisse rettulit illi vitae, quam nos sub Nepotis nomine habemus, valde repugnent." Quid? Hauptiusne, qui, quod ea, quae apud Ampelium, 28 de Hannibale traduntur, cum Hannibalis vita, quae vulgo Nepoti tribuitur, conveniant, totum caput e Nepote fluxisse putat, eandem Hannibalis vitam a Nepote abiudicat, ubi non congruit cum iis, quae Pseudo-Victorem de Hannibale e Nepote hausisse coniecit? Deinde Rinckii iudicium non satis firmatum atque probatum est, quia hoc uno tantum argumento nititur, quod Plutarchus (Comp. Pelop. cum Marc. 1.) Hannibalem a Marcello aliquoties victum esse a Nepote tradi scribit, in vita autem Hannibalis, quae Nepoti vulgo tribuitur, non uno loco eum in Italia invictum fuisse traditum est (I, 2. V, 4. VI, 1). Sed quanta fides in Plutarcho, in Marcelli vita auctores laudanti, ponenda sit, multi viri docti [1]) iam ostenderunt, quod de Marcelli ossibus Valerium Maximum et Livium ea narrasse tradat [2]), quae apud eos frustra quaerantur. Itaque Plutarchum hoc loco errasse [3]) neque eius testimonium tantum valere puto, ut eo freti illam Hannibalis vitam a Nepote abiudicemus.

---

1) Perizon. Animadv. hist. p. 368.
Koehler. l.l. p. 32.
H. Peter. de font. Plut. in Rom. vitis. p. 75.
Soltav. l.l. p. 56.
2) Cf. Plut. Marc. 30.
3) Cf. Soltav. p. 67.

Neque pluris faciendus est alter Plutarchi locus, cuius supra mentio facta est, ubi Nepotem de Marcelli ossibus eadem tradidisse scripsit, quae apud Pseudo-Victorem inveniuntur. Hinc Hauptius collegit Pseudo-Victorem hic e Nepote pendere. Plutarchus Marc. 30, postquam tradidit Marcelli corpus ab Hannibale combustum, reliquias, cum Romam remitterentur, a Numidis interceptas et dissipatas esse in hunc modum pergit: *Ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα καὶ Οὐαλέριον Μάξιμον ἱστορήκασι. Λίβιος καὶ Καῖσαρ ὁ Σεβαστὸς κομισθῆναι τὴν ὑδρίαν πρὸς τὸν υἱὸν εἰρήκασι καὶ ταφῆναι λαμπρῶς.* Quis ullam fidem Plutarchi testimonio tribuat, cum, ut iam indicavimus, neque Valerius Maximus de reliquiis a Numidis dissipatis, neque Livius de ossibus Romam remissis agat?

Quae Hauptius contulit, ut probaret Pseudo-Victorem in Catonis vita Nepotem secutum esse, valde ingeniose inventa esse libentissime profiteor, sed ne cum eo faciamus obstant ea, quae de Catonis praetura et de Ennio Pseudo-Victor et Nepos diversa tradiderunt. Pseudo-Victor 47, 1 enim solus narrat Catonem praetorem Sardiniam subegisse ibique ab Ennio Graecis literis institutum esse. Contra Nepos Catonem praetorem Sardiniam obtinuisse tradit, e qua quaestor superiore tempore ex Africa decedens Q. Ennium poëtam deduxisset. Ex iis, quae apud Nepotem sequuntur: »quod non minoris aestimamus quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum" satis apparet, eum de Sardinia a Catone subiecta nihil scivisse. Cum Nepote congruit Hieronymus Chron. a. 1777 = 514 Urbis: »Ennius poëta... a Catone quaestore Romam translatus." Itaque fieri non potest ut Q. Ennius Catonem praetorem in Sardinia Graecas literas docuerit. Ea denique quae Pseudo-Victor de Catone, praetore (XXXV annos nato), Graecis literis instituto tradit, ab iis quae Nepos de tempore, quo Graecis literis studere coepit, narrat, discrepant. Nepos III, 2: »cupidissimus literarum fuit, quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progessum fecit, cet." [1]).

---

1) Cf. Val. Max. VIII, 7, 1. Cato Graecis literis erudiri concupivit, quam sero inde aestimemus, quod etiam Latinas paene iam senex didicit.

In alia re, de qua nulla controversia esse potest, quid Nepos tradiderit, Hauptius miro modo difficultates enucleare frustra conatus est. Gellius XVII, 21, 24 haec scribit: »Manlius damnatus capitis e saxo Tarpeio, ut ait Varro, praeceps datus, ut Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est." Pseudo-Victor 24, 7 autem Manlium de saxo Tarpeio praecipitatum esse tradit. Hauptius de hac controversia ita disputat (l. l. p. 31): »Minime haec dissensio, quae ibi est inter Nepotem et auctorem nostrum, nos deturbare debet, sed hinc proficisci videtur, quod Nepotem haud veri simile est a ceteris scriptoribus de Manlii supplicio discrepantem ne mentionem quidem vulgaris illius narrationis fecisse; itaque ex duabus narrationibus a Nepote propositis auctor noster eam ipsam eligere potuit, quam Gellius non Nepotis sed Varronis propriam esse iudicavit. Deinde facillime cogitari potest Nepotem haec scripsisse: Manlius de saxo Tarpeio praecipitatus verberando necatus est." Rem acu tetigit Hildesheimerus (l.l. p. 10) his verbis Hauptii sententiam redarguens: »Si Nepos his tam perversis verbis usus esset, qui quaeso fieri potuit, ut et auctor de viris illustribus et Ampelius (c. 27, 4: Manlius — — de Tarpeio saxo praecipitatus est.) eam potissimum eligerent versionem, quam Gellius non Nepotis sed Varronis propriam esse iudicavit? Verum etiam relicto Ampelio Hauptii illa artificia corruunt. Neque enim verborum sed rerum discrepantiam Gellius significat: Nepotem tradere Manlium per duumviros perduellioni iudicandae [1]) damnatum ideoque more maiorum verberatum esse, Varronem autem eum per tribunos damnatum ideoque de saxo Tarpeio praecipitatum esse (Cf. Schwegl. Hist. Rom. III. p. 297. Momms. Herm. V. p. 253 = Quaest. Rom. II. p. 193)." Neque quae de aliis manifestis Nepotis in eodem capite vestigiis Hauptius contendit, maioris momenti sunt. Putat ea, quae Pseudo-Victor de Manlii virtute

---

Cic. Acad. pr. II, 2, 5. — — cum Graecas literas M. Catonem in senectute didicisse acceperim.

Cic. Cat. M. 8, 26. ego (Cato) — — Graecas literas senex didici.

Plut. Cat. 2. Παιδείας Ἑλληνικῆς ὀψιμαθὴς γενέσθαι λέγεται.

1) Cf. Liv. VI, 20, 12. sunt, qui per duumviros, qui de perduellione anquirerent, creatos auctores sint damnatum.

narrat, e Nepote fluxisse, quod ad verbum congruant cum iis, quae Plinius Nat. Hist. VII, 103 de Manlio tradit, quem superiore capite e Nepote pendere coniecit. Etiamsi argumentum iam per se nihili aestimandum est, praeterea hac potissimum re infirmatur, quod, si Pseudo-Victorem et Plinium cum Livio VI, 20, 7 comparaveris, tres illos scriptores ex eodem fonte hausisse veri simile esse putabis (de vir. ill. 24, 2. XXXVII militaribus donis a suis ducibus ornatus, XXIII cicatrices in pectore habuit. Plin. VII, 103. XXXVII dona, XXIII cicatrices adverso corpore exceperat. Liv. VI, 20, 7. protulit... dona imperatorum ad XL... 8. nudavit pectus insigne cicatricibus bello acceptis).

Ea quoque, quae Plutarchus in vita Luculli 43 Nepotem narrasse tradit, cum Pseudo-Victore convenire Hauptius putat, cui Hildesheimerus concedit (l. l. p. 12).

Plut. Luc. 43.	de vir. ill. 74, 8.
Καὶ πρό γε τῆς τελευτῆς λέγεται νοσῆσαι τὴν διάνοιαν αὐτῷ κατὰ μικρὸν ἀπομαραινομένην. Νέπως δὲ Κορνήλιος οὐχ ὑπὸ γήρως φησὶν οὐδὲ νόσου παραλλάξαι τὸν Λούκυλλον ἀλλὰ φαρμάκοις ὑπό τινος τῶν ἀπελευθέρων Καλλισθένους διαφθαρέντα· τὰ δὲ φάρμακα δοθῆναι μὲν ὡς ἀγαπῷτο μᾶλλον ὁ Καλλισθένης ὑπ' αὐτοῦ, τοιαύτην ἔχειν δοκοῦντα τὴν δύναμιν, ἐκστῆσαι δὲ καὶ καταλῦσαι τὸν λογισμόν, ὥστε ἔτι ζῶντος αὐτοῦ τὴν οὐσίαν διοικεῖν τὸν ἀδελφόν.	Post cum alienata mente desipere coepit, tutela eius M. Lucullo fratri permissa est.

Ne hic quidem Pseudo-Victorem e Nepote pendere puto. Nam non necesse est fratris tutela cum Callisthenis veneficio cohaereat, immo vero neminem eorum, qui de Luculli mentis alienatione egerunt, tutelam eius M. Lucullo fratri commissam esse ignorasse veri simile est. E Plutarchi verbis, ut recte A. Schottus (diss. de auct. de vir. ill. l.l.) contendit, nihil sequitur nisi ut unus Cornelius Nepos Lucullum neque ex senio neque ex morbo alienata mente fuisse sed a Callisthene venenis corruptum tradiderit.

Eorum sententiam secutus, qui, quae Gellius de iudiciis P. et L. Corneliorum Scipionum contulit (IV, 18. VI, 19), e Nepote fluxisse putant, Pseudo-Victorem quoque e Nepote pendere coniecit. Sed si rem accuratius perpendimus, videmus Mommsenum recte iudicasse Pseudo-Victorem cum Valerio Antiate consentire (Herm. I. p. 168 = Quaest. Rom. II. p. 430).

Gellius (Nepos) enim tres causas distinguit:

I »Petillii — desiderabant in senatu instantissime ut pecuniae Antiochinae praedae(que) in eo bello captae rationem redderet (P. Cornelius Scipio Africanus)". (IV, 18, 7). »Ibi Scipio exsurgit et — — librum (rationum) statim coram discidit suis manibus et concerpsit" (l. l. 9).

II. »Cum M. Naevius tribunus plebis accusaret eum (Africanum) ad populum diceretque accepisse a rege Antiocho pecuniam, ut conditionibus gratiosis et mollibus pax cum eo populi Romani nomine fieret et quaedam item alia crimini daret indigna tali viro", tum Scipio natali pugnae Zamensis contionem permovit ut secum in Capitolium iret Jovi gratulatum (l. l. 3).

III »C. Minucius Augurinus L. Scipioni Asiatico multam irrogavit eumque ob eam causam praedes poscebat. Scipio Africanus fratris nomine ad collegium tribunorum provocabat petebatque ut virum consularem triumphalemque a collegae vi defenderent". Quod eius rogatu Tiberius Sempronius Gracchus fecit (VI, 19, 2. 3.).

Valerius Antias apud Liv. XXXVIII, 50, seq. duas tantum causas memorat:

I. Dies dicta P. Cornelio Scipioni Africano a Q. Petilliis pecuniae in Asiae captae.[1]). Eae res, quarum eum incusant, sequuntur c. 51. Secunda die contionem secum in Capitolium ducit ad Deos salutandos (c. 51). Ante ultimam diem

---

1) „In dem Bericht des Antias verschwimmt der eigentliche Anklagegegenstand einigermassen in der Reihe allgemein gehaltener Beschuldigungen, aber auch hier noch tritt die angebliche Bestechung durch Antiochus, insbesondere die Freigebung des in Gefangenschaft gerathenen Sohnes des Africanus ohne Lösegeld, nicht undeutlich als Hauptbeschwerde hervor." (Momms. Herm. I. 192 = Quaest. Rom. II. 467)

Liternum concessit (c. 52), ubi mox mortuus est (c. 53).

II. Post Africani mortem ex eorundem tribunorum rogatione L. Cornelius Scipio Asiaticus damnatus est, quod quo commodior pax Antiocho daretur, sex milia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepisset quam in aerarium intulisset (c. 54. 55).

Causa III apud Nepotem congruit cum causa II apud Antiatem paucis rebus exceptis, quas iam Gellius VI, 19, 8 [1]) memoravit, quibus addi potest tribunorum nomina apud utrumque differre.

Si ea, quae Pseudo-Victor hac de re rettulit, comparamus cum iis, quae Valerius Antias et Nepos tradunt, videmus Pseudo-Victorem cum Valerio Antiate congruere. De vir. ill. 49, 17, seq. haec leguntur: »A Petillio Ateio [2]) tribuno plebis repetundarum accusatus librum rationum in conspectu populi scidit. Hac die, inquit, Carthaginem vici: quare bonum factum in Capitolium eamus et diis supplicemus! Inde in voluntarium exsilium concessit, ubi reliquam egit aetatem. Moriens ab uxore petiit, ne corpus suum Romam referretur." Statim apparet Pseudo-Victorem eadem tradere, quae Nepos in II causa, Antias in I facta esse narrat. Facta cum Antiatis narratione congruunt, discrepant ab iis, quae apud Gellium leguntur. Accusator non est Naevius (Nepos) sed Petillius [3]) (Antias). Post-

---

1) Gell. VI, 19, 8. Valerius autem Antias contra hanc decretorum memoriam contraque auctoritates veterum annalium post Africani mortem intercessionem istam pro Scipione Asiatico factam esse a Tiberio Graccho dixit, neque multam irrogatam Scipioni sed damnatum eum peculatus ob Antiochinam pecuniam, qui(a) praedes non daret[,] in carcerem duci coeptum atque ita intercedente Graccho exemptum.

2) Lectionem vulgatam servandam esse Mommsenus (Herm. I. p. 189 = Quaest. Rom. II. p. 462. adn. 92) ostendit. Neque cum Schroetero et Keilio „a Petillio ac Naevio tribunis plebis" neque cum Hertzio et Hauptio „a Petilliis, tribunis plebis" legendum est.

3) „Ob ein Angreifer genannt wird, wie bei Polybius und Victor, oder zwei, wie bei Gellius und Livius, ist in der That nicht verschiedene Ueberlieferung, sondern nur verschiedene Fassung; immer machte in solchen Fällen einer den Angriff und secundirte ein anderer, so dass man ebenso gut einen wie zwei Angreifer nennen konnte". (Momms. Herm. I. p. 189 = Quaest. Rom. II. p. 463. adn. 94.)

quam Scipio a populo stipatus in Capitolium ivit Diis supplicatum, statim in exsilium it (Antias); contra Nepos tradendo Africanum fratris causae adfuisse eos sequitur, qui illum post supplicationem in Capitolio legatum in Etruriam ivisse scripserunt (Cf. Liv. XXXVIII, 56). Quae de libro rationum discerpto Antias narraverit, Livius non memorat [1]). Sed, ut Mommsenus coniecit (Herm. I. p. 207 = Quaest. Rom. II. p. 494), Antias id in prima causa apud populum factum esse tradidit. Quidquid hac de re statuendum est, Pseudo-Victor ne hic quidem Nepotem, qui librum in senatu discerptum esse refert sequitur, cum ille Scipionem id apud populum fecisse tradat. Admonendum praeterea Pseudo-Victorem in Scipionis Asiatici vita c. 53, 2, in Asiatici causa tradenda, cum Antiate congruere, a Nepote discrepare. Nam Pseudo-Victor eum reum pecuniae interceptae fuisse narrat (Antias apud Gellium l.l. »damnatum peculatus ob pecuniam Antiochinam".), Nepos ei multam irrogatam esse memorat [2]).

Hauptius Pseudo-Victorem hic Nepotem secutum esse hoc potissimum argumento ostendere conatus est, quod per errorem duas illas accusationes , de quibus Nepos agit (I et II), confuderit et ita Naevii tribuni plebis nomen suppresserit. Sed demonstrare supersedit, quatenus cum Nepote congruant quae apud Pseudo-Victorem de Scipionis exsilio cum Antiate congruere paulo ante vidimus. Facile unusquisque mihi concedet huiusmodi artificiis difficultates enucleare non licere.

Omnibus locis, quos Hauptius ad sententiam probandam attulit [3]), perpensis Pseudo-Victorem Nepotem secutum esse sine ulla dubitatione nego.

---

1) Quae Livius XXXVIII, 55, fin. hac de re tradit, non ex Antiate sed e Polybio fluxisse Momms. l.l. ostendit.

2) Cf. de controversia intra Antiatem et Nepotem Momms. Herm. I. p. 194 = Quaest. Rom. II. p. 471. adn. 107.

3) Quibus praeterea addendus est locus, quem Hildesheimerus (l.l. 11) attulit, ubi quoque Pseudo-Victor a Nepote discrepat. De vir. ill. 41, 1. Sexcentas Carthaginiensium naves — — — duce Hamilcare — — depressit aut cepit (C. Lutatius Catulus). — Nep. Ham. I, 2. ipse (Hamilcar) nusquam hosti cessit — — semperque superior discessit." De altero loco Hildesheimero non assentior, nam inter ea, quae de vir. ill. 41, 2 et quae apud Nep. Ham. I, 5 traduntur, nullam controversiam inesse video.

CAPUT V.

Anno 1880 H. Hildesheimerus libellum »de Libro, qui inscribitur de viris illustribus urbis Romae quaestiones historicae" Berolini edidit. Reiecta Hauptii de Nepote sententia Hildesheimerus coniecit Pseudo-Victorem ex scriptore quodam de viris illustribus per totum librum pendere, capitibus 9, 14, 22 exceptis, quae e Livianis annalibus originem traxisse putat (p. 22). Secum reputans quos scriptores Hieronymus (proleg. ad Dextrum in libro de vir. ill. II. p. 821. Vall.) de viris illustribus scripsisse tradiderit, unum Hyginum a Pseudo-Victore usurpatum esse comperit. Et quoniam tam perspicua vestigia Floriana apud Pseudo-Victorem inveniantur, quae neque ex Hygino neque ex Floro ipso — eadem enim apud Ampelium, qui eodem quo Pseudo-Victor fonte usus sit, occurrere — oriri potuerint, »non ipsum Hyginum Nostrum adhibuisse sed auctoris opus, qui illos Hygini de viris illustribus libros, Flori epitome passim usus, retractaverit atque inde Ampelium quoque ea, quae de Romanorum regibus, ducibus, viris fortibus, hostibus relata apud eum legamus, desumpsisse" putat (p. 35). Hieronymum in enumerandis de viris illustribus libris hunc reticuisse coniecit, »quia Hyginiani operis originem et similitudinem tam aperte prae se ferret, ut ipsius Hygini liber videretur esse" (p. 35). Consensum Pseudo-Victoris cum elogiis, cum Valerio Maximo, cum Frontino et cum scholiis nonnullis inde natum esse putat quod ex eodem, e quo Pseudo-Victor, auctore, Hygino, pendeant.

Hildesheimeri coniectura propterea reicienda esse mihi videtur, quod argumenta, quibus nititur, valde exilia sunt. Unus tantum Hygini locus nobis relictus est, ubi de iisdem rebus, quibus Pseudo-Victor, agit.

Gellius VI (VII), 1. 2, seq.	de vir. ill. 49.
C. Oppius et Iulius Hyginus aliique, qui de vita et rebus Africani scripserunt, matrem eius diu sterilem existimatam tradunt.... Postea in cubiculo atque in lecto mulieris... visum repente esse iuxta eam cubare ingentem anguem — — neque multis diebus postquam ille anguis in lecto visus est, mulierem coepisse concepti foetus signa atque sensum pati	1 Antequam conciperetur (P. Cornelius Scipio), serpens in lecto matris eius apparuit.
Scipionem hunc Africanum solitavisse noctis extremo, priusquam diluculafret, in Capitolium ventitare ac iubere aperiri cellam Iovis atque ibi solum diu demorari, quasi consultantem de republica cum Iove aeditumosque eius templi saepe esse demiratos, quod solum id temporis in Capitolium ingredientem canes.... neque latrarent eum neque incurrerent.	2 In Capitolium intempesta nocte euntem nunquam canes latraverunt[1]). Nec hic quicquam prius coepit quam in cella Iovis diutissime sedisset, quasi divinam mentem accepisset.

Facile concedo hoc loco Pseudo-Victorem cum Hygino congruere, sed eodem tamen iure contendi potest quae apud Nostrum hac de re legantur, ex C. Oppio fluxisse vel ex alio quodam eorum qui de vita et rebus Africani scripserunt.

Apud Ampelium quoque Hygini vestigia exstare ostendere conatus est, quod Ampelius 18, 9 eadem de Fabricio tradat, quae Gellius IV, 8, 7 et XVII, 21, 39. »Quoniam Gellius I, 14 simile de Fabricii severitate exemplum ex Hygino se depromere ipse fateatur," Hyginum quoque auctorem narratiunculae, quam apud Gell. IV, 8, 7. XVII, 21, 39 legimus, esse Hildesheimerus putat. Sed argumentum nihili est aestimandum,

1) Th. Opitz. (N. Jahrb. f. Philol. u. Paedag. 1881. vol. 123. p. 202) ad Hygini et Pseudo-Victoris consensum probandum maximi momenti esse putat quod et Hyginus (Gellius) et Pseudo-Victor verbo latrandi transitive usurpaverint. At hoc argumentum nihil valere inde perspicuum est, quod hoc verbum non solum apud poëtas sed etiam apud Plin. Nat. Hist. cum Accusativo nonnunquam coniungitur. cf. Plin. l.l. XXV, 126.

quia Gellius non semper omnia, quae de eodem homine tradit, ex eodem auctore hausit[1]). Iam exposui nullum praeterea Hygini locum nobis superesse, ubi cum Pseudo-Victore congruit. Num licet tam exilibus argumentis freto affirmare Pseudo-Victorem ex Hygino pendere?

Iam nobis agendum est de Flori vestigiis, quae apud Pseudo-Victorem inveniuntur. Hildesheimerus (p. 31) reicit Woelfflini et Hauptii sententias, qui Pseudo-Victoris cum Floro consensum inde ortum esse putant, quod uterque e Hygino aut e Nepote pendeat. »Procul enim a probabilitate abhorrere Florum universam liberae reipublicae historiam perscribentem libro de viris illustribus usum esse." Deinde errores, quos praeter Florum et Pseudo-Victorem nullus alius commiserit, ex communi fonte fluxisse non posse, »immo satis superque constare illum populi Romani laudatorem et praeconem consilio contra omnem historiae fidem res corrupisse." Sed quamvis multi errores apud Florum legantur tamen horum culpa saepe non tam ipsi Floro, quam auctori, quem secutus est, imputanda videtur. Persaepe enim et Pseudo-Victor, ubi non e Floro pendere potest, errat, unde colligendum auctorem, quem Pseudo-Victor sequitur, saepe res prave narrasse. Cur autem errores, qui apud Pseudo-Victorem et Florum solos inveniuntur, non ex eodem fonte quo ceteri manasse possunt et propterea uterque errasse putandus est, quod e communi fonte pendent? Praeterea nonnullos errores a solo Pseudo-Victore commissos inde fluxisse Hildesheimerus iudicat »quod temere et imprudenter Flori vestigiis insistat." »Nam Menenii, Coriolani, Licinii Stolonis, L. Verginii vitas auctorem de vir. ill. perverso temporis ordine conexas proponere, Florum certe secutum, qui in capite, quo de seditionibus agit (I, 17), illos viros coniunctos afferat." Verum eum Pseudo-Victoris errorem e Floro ortum esse non veri simile est. Nam si id ita esset, Pseudo-Victor eundem ordi-

1) Quanta pericula ille disputandi modus secum afferat, luculenter ostendit Gellius III, 8, nam eodem iure, quo Hildesheimerus Gellium IV, 8, 7 et XVII, 21, 39 ex Hygino pendere coniecit, eum iisdem locis Valerium Antiatem aut Claudium Quadrigarium secutum esse quis contendere poterat, e quibus Gellius III, 8 se simile de Fabricii severitate exemplum desumpsisse profitetur.

nem, quo Florus de iis seditionibus agit, servasset neque L. Verginii vitam post C. Licinii Stolonis descripsisset. Deinde ex ea apud Pseudo-Victorem confusione in capitibus 18—21 Hildesheimerus nihil statuere poterat, quia non solum ea capita sed etiam proxima 14—17 et 22 nulla temporis ratione habita conscripta sunt [1]). Denique Hildesheimerus iudicium suum eo firmari et probari putat, quod Pseudo-Victor 79, 6.7 cum Floro II; 34 Octavianum Iani portas clausisse atque Augustum appellatum esse post bellum Parthicum exponat, Florus autem »more suo, ut poëtico quodam afflatu libri sui finem faceret, ipsam Augusti consecrationem rebus ab eo gestis postposuerit.'' At si totam Octaviani vitam a Pseudo-Victore conscriptam perlegas, idcirco Pseudo-Victorem temporis ordinem neglexisse videas, quod, ut saepius fit, primum bella, quae quis gessit, deinde ceteras res, quas egit, narrat. Postremum nonnunquam Pseudo-Victor multo copiosius res exponit quam Florus. Neque Pseudo-Victor, ut Hildesheimerus coniecit, his locis ea, quae ex auctore excerpserat, flosculis Florianis auxisse putandus est; immo exemplum ipsum, quod ille ad sententiam probandam attulit, luce clarius ostendit Flori et Pseudo-Victoris consensum inde ortum esse, quod uterque eundem auctorem secutus sit.

Flor. II, 2, 6.	de vir. ill. 64, 6.
Cum ad perpetranda coepta die comitiorum prorogari sibi vellet imperium, obvia nobilitas .... caedes a foro coepit. inde cum in Capitolium profugisset plebemque ad defensionem salutis suae manu caput tangens hortaretur, praebuit speciem regnum sibi et diadema poscentis, adque ita duce Scipione Nasica, concitato in arma populo, quasi iure oppressus est.	Deinde cum prorogare sibi potestatem vellet, adversis auspiciis in publicum processit statimque Capitolium petiit manum ad caput referens, quo salutem suam populo commendabat. Hoc nobilitas ita accepit, quasi diadema posceretur, segniterque cessante Mucio consule Scipio Nasica sequi se iussis, qui salvam rempublicam vellent, Gracchum in Capitolium persecutus oppressit.

1) Cf. Opitz. l.l. p. 204.

His locis haec adscripsit Hildesheimerus (l. l. p. 31): »Ecce adversis auspiciis Gracchum in publicum concessisse frustra apud Florum quaeras, invenias apud Plut. Ti. Gracch. 17, et Val. Max. I, 4, 2, deinde illud de »cessante Mucio", quod apud Florum non legitur, praeter Nostrum Cic. Tusc. IV, 23, 51, Plut. l. l. 19, alii narrant, denique illud Nasicae iussum Cic. l. l. Val. Max. III, 2, 17, Vell. II, 3, Plut. l. l. 20, App. b. c. I, 16 tradunt." At manifestum est eundem auctorem, qui Pseudo-Victorem docuerit Gracchum adversis auspiciis in publicum concessisse, narrasse auspicia adversa fuisse, cum prorogare sibi vellet potestatem. Deinde non est veri simile eum, qui de Mucii cunctatione et de Scipionis iusso egerit, de Gracchi morte tacuisse.

Infra saepius mihi copia erit exponendi etiam plures locos, ubi Pseudo-Victor cum Floro congruit, non ex Floro ipso sed ex communi fonte fluxisse.

CAPUT VI.

Ante hos quattuor annos I. Rosenhauerus dissertationem edidit, quae continet: »Symbolas ad quaestionem de fontibus libri, qui inscribitur »de viris illustribus urbis Romae". Cuius dissertationis haec summa est. Pseudo-Victorem in libello conscribendo tres fontes adhibuisse, vitarum et historiarum et exemplorum libros. Consensum Pseudo-Victoris cum Ampelio inde ortum esse, quod iisdem vitis et eodem historico libro — quem Livium non fuisse recte demonstravit (p. 34—39) — usi sint (p. 19—27). Pseudo-Victoris autem cum Floro consensum usui eiusdem libri historici tribuendum esse (p. 10—19).

Praeter alia argumenta minoris momenti haec inprimis attulit ut ostenderet fieri non posse ut Pseudo-Victor longe maiorem partem e vitis pendeat, — id, quod Hildesheimerus coniecit — quod Pseudo-Victor saepe in virorum illustrium vitis non eorum vitam sed aliquam rem memorabilem tradat [1]) (p. 6, 7), quod de iis agat, quorum vitas perscriptas esse veri simile non sit [2]) (p. 7), quod »de multis viris illustribus narrationem non ab ortu, genere, pueritia, adulescentia sed ab eo temporis spatio, quo primam eorum memoriam in perpetua historia invenerit, incipiat" (p. 7, 8). Etiamsi his argumentis adducti facile cum Rosenhauero facimus, ubi contendit in plerisque Pseudo-Victoris capitibus non vitarum sed historiarum libri vestigia inveniri, attamen illis de causis, quas superioribus capitibus exposuimus,

---

1) Cf. de vir. ill. 9. L. Tarquinius Collatinus et Lucretia uxor, ubi Pseudo-Victor Lucretiae stupratae casum refert. 16. Postumius, ubi pugna Regillensis narratur. 36. Decius Mus, ubi de Volsinensium luxuria agitur. 48. C. Claudius Nero et Hasdrubal, ubi pugna ad Metaurum describitur.

2) Cf. de vir. ill. 13. Cloelia. 14. Fabii trecenti sex. 30. Postumius. 46. Claudia virgo Vestalis. 59. Mancinus. 86. Cleopatra.

iis locis, ubi Pseudo-Victor vitarum libro niti videtur, Nepotem aut Hyginum — id Rosenhauerus non diiudicat (p. 4) — adhibitum esse negamus. Quamquam concedimus a Pseudo-Victore nonnunquam res narrari, quae e vitis fluxisse possint, periculi tamen plenum esse videtur e rerum, quae narrantur, natura colligere eas e vitarum libro desumpta esse; persaepe enim de iis rebus in historiarum libris, uberius conscriptis, mentionem factam esse videmus. Facile ex iis, quae supra de Pseudo-Victoris cum Floro consensu exposui, intellegas, me cum Rosenhauero consentire, cum eos locos, ubi Pseudo-Victor cum Floro congruit, non ex ipso Floro sed e communi fonte desumptos esse putat. Quae tamen de Pseudo-Victoris cum Ampelio consensu coniecit, plane aspernanda mihi videntur. Putat enim Ampelium in iis capitibus, ubi de iisdem viris ac Pseudo-Victor egit, eundem librum historicum et easdem vitas secutum esse iis locis, ubi consentiant, ubi autem dissentiant[1]) »ab alterutro discessum esse aut a vitarum libris ad librum historicum aut a libro historico ad vitarum libros" (p. 25). Attamen credere non possum duos scriptores, qui tam paucis verbis res gestas describant, iisdem duobus fontibus ita usos esse, ut longe plurimis locis e duobus eundem fontem elegerint. Controversiae apud Pseudo-Victorem et Ampelium ei rei potius tribuendae esse mihi videntur, quod Ampelius praeter eundem unum fontem, quem Pseudo-Victor quoque secutus est, alios interdum inspexit. Hoc ipse duobus locis satis luculenter indicat[2]).

Levioribus argumentis nisus Rosenhauerus ostendere conatus est Pseudo-Victorem tertio quodam fonte usum esse, quia in capite 14 (Fabii trecenti sex), quod e vitarum libro non manaverit, ex historico fonte hausisse non potuerit. Nam »Florum I, 6, 2 et Ampelium 20, 2 et Scholiastam Iuvenalis ad sat. II, 155 historico fonte usos tradere Fabios fuisse trecentos, Nostrum trecentos sex. Quodsi legeretur apud Nostrum »trecenti", apud illos

1) Cf. infra cap. VIII.

2) Cf. Amp. 19, 8. Hic est omnium rerum peritissimus et, ut Sallustio Crispo videtur, Romani generis disertissimus. 30, 5. Ita Darius regnum optinuit, a quo Artabazes originem ducit, quem conditorem regni Mithridatis fuisse confirmat Sallustius Crispus.

»trecenti sex" ita intellegi posse, Nostrum numerum communis fontis rotundasse; quoniam autem contraria res sit, non cogitari posse a tribus pari consilio rotundatum; ac ne hoc quidem veri simile esse proprio consilio Nostrum scripsisse »trecenti sex" (p. 28.) Ego contra in iis, quae Rosenhauerus attulit, argumenta inesse puto, quibus sententia eius refutetur. Nam e rei natura sequitur ut Pseudo-Victor, qui de Fabiorum expeditione pluribus verbis egerit, numerum ipsum tradiderit, Florus autem, Ampelius, Iuvenalis Scholiasta, paucis tantum eam rem narrantes, numerum summatim comprehenderint. Deinde Rosenhauerus, quod multi loci apud Pseudo-Victorem sint, ubi cum Valerio Maximo congruat, Valerium autem Maximum exemplorum libros secutum esse veri simile sit, eum consensum inde ortum esse putat, quod uterque ex iisdem exemplorum libris Nepotis aut Hygini pendeat. Attamen iis locis, quibus Rosenhauerus Pseudo-Victorem cum Valerio Maximo consentire demonstravit, nulla vestigia Nepotiana aut Hyginiana ostendere potuit. Sed etiamsi non investigamus nomen eius exemplorum scriptoris, attamen non satis firmis argumentis demonstrare possumus exemplorum librum a Pseudo-Victore usurpatum esse. Omnes exemplorum libri historias vel vitas pro primario fonte habuerint necesse est. Consensus igitur Pseudo-Victoris cum Valerio, si iis locis, ubi cum illo congruit, ex exemplorum libro hauserit — id quod probare non possumus — inde ortus esse potest, quod Pseudo-Victor eodem historiarum vel vitarum libro usus est, e quibus exemplorum libri, quos Valerius secutus est, fluxerunt.

Neque ea argumenta, quae Rosenhauerus ex ordine, quo Pseudo-Victor neglecta temporis ratione nonnulla capita scripsit, desumpsit, magni aestimanda sunt. Contendit enim »caput 14 (Fabii trecenti sex) extra ordinem iuxta Horatium, Mucium, Cloeliam positum esse, quod petita sint e libro exemplorum, in quo quattuor illa eximiae fortitudinis exempla coniunctim proposita essent." At haec sententia mera coniectura nititur; Valerius Maximus saltem, qui plane de Fabiis tacet, de Horatio Coclite et Cloelia agit, ubi »fortitudinis exempla" exponit (III, 2, 1. 2), contra »patientiam" Mucii Scaevolae laudat (III, 3, 1). Neque caput 20 (Licinius Stolo) extra temporis or-

dinem scriptum esse putes, quod Pseudo-Victor exemplorum librum secutus sit. Nam Valerius Maximus, qui VIII, 6, 3 cum Pseudo-Victore congruit, Licinium Stolonem notat, quod »quae in aliis vindicasset, ipse commiserit". Quod non ad C. Marcium Coriolanum, cuius vita proxima est, pertinere potest. Caput 22, ubi de Aesculapio Romam advecto agitur, non idcirco ante caput 23, ubi Camilli vita narratur, collocavit Pseudo-Victor, quod ex exemplorum libro pendeat, quo primum Aesculapium Romam advectum, deinde Iunonem Veientanam captis a Camillo Veiis Romam translatam esse traditur, quo ordine Valerius Maximus I, 8, 2. 3 his de rebus agit. Nam si Pseudo-Victor hoc loco exemplorum librum usurpasset, e rei natura sequeretur, ut hunc librum adhibuisset, unde de Camilli vita quaedam desumeret. At in Camilli vita de Iunone Veientana ne verbo quidem mentio fit neque, ubi de Veiorum expugnatione Pseudo-Victor agit, libri exemplorum vestigia inveniuntur.

His omnibus rebus perspectis perpensisque non satis firmis argumentis Rosenhauerum probasse contendo Pseudo-Victorem exemplorum librum in fontibus habuisse.

CAPUT VII.

Anno 1883 Alexander Enmannus in Philologo 1883. Suppl. IV. vol. 4. p. 460, seq. de libro, qui inscribitur de Viris illustribus, egit. Reiectis Hauptii et Hildesheimeri sententiis [1]) non conatus est inquirere in fontes primarios huius libri sed e ratione, qua res narrantur, quaedam colligere studuit de modo, quo Pseudo-Victor librum conscripserit, et de fontium genere, quos Pseudo-Victorem secutum esse veri simile sit. Cuius inquisitionis haec summa est. Primum hunc libellum maioris libri epitomen esse coniecit neque cum Woelfflino et Hildesheimero faciendum esse putat, qui Pseudo-Victorem ea, quae in maiore libro legisset, retractasse iudicaverint. His quattuor argumentis, quae ex oratione, qua Pseudo-Victor usus est et e ratione, qua res memorabiles narravit, desumpsit, sententiam probare et firmare conatus est.

Hunc libellum epitomen esse inde colligi potest:

I. Quod singulae res non nisi breviter narrentur totaque Pseudo-Victoris oratio ex copiosiore contracta esse videatur. Quod ut luculentius appareret, hanc Sullae vitae (c. 75) partem exscripsit: »Praetor inter cives ius dixit. Praetor Ciliciam provinciam habuit. Bello sociali Samnitas Hirpinosque superavit. Ne monumenta Bocchi tollerentur Mario restitit. Consul Asiam sortitus, Mithridatem apud Orchomenum et Chaeroneam proelio fudit. Archelaum praefectum eius Athenis vicit, portum Piraeum recepit, Maedos et Dardanos in itinere superavit. Mox cum rogatione Sulpicia imperium eius transferretur ad Marium, in Italiam regressus corruptis adversariorum exercitibus Carbonem Italia expulit, Marium apud Sacriportum, Telesinum apud portam Collinam

1) Enmannus Rosenhaueri dissertationem cognosse non videtur.

vicit. Mario Praeneste interfecto Felicem se edicto appellavit. Proscriptionis tabulas primus proposuit cet." Unusquisque, qui paulo diligentius Pseudo-Victorem perlegerit, facile mihi concedet, huius rei multa alia exempla afferri posse.

II. Quod Pseudo-Victor in compilando res, quae desiderari non possint, prorsus omiserit ut in eadem Sullae vita, ubi neque tradatur Sullam iam antea Romam cepisse neque exponatur quis Bocchus fuerit neque ostendatur alio loco de Mario patre, alio de Mario filio agi.

III. Quod in eodem capite res dissimili modo narrentur. Non enim cogitari posse eum, qui conscripserit Pompeii vitam, non excerpserit, de morte eius fere tot verbis quot de rebus gestis egisse [1]).

IV. Quod apud Pseudo-Victorem nonnullae res memoria dignissimae nonnullaeque vitae desiderentur, quae apud scriptorem, qui res Romanas in vitis exponere studuerit, vix desiderari possint velut Crassi et Iugurthae vitae et Catilinae coniuratio, de qua Pseudo-Victor verbo tantum egerit.

Etiamsi non omnia argumenta, quae Enmannus contulit, mihi satis firma esse videntur, attamen libentissime ei concedo, hunc libellum epitomen esse, quod, si diligenter ad modum, quo res narrantur, animum attenderis, facile agnosces. Vix enim cogitari potest scriptorem, qui librum maiorem non excerpserit, res tam dissimili ratione tractasse et de multis hominibus et rebus mentionem fecisse, de quibus ne verbo quidem demonstretur, qua ratione cum reliqua narratione cohaereant.

Deinde Enmannus recte exposuit, quae fuerit causa, cur Hauptius et Hildesheimerus, ubi Pseudo-Victorem vitarum quendam scriptorem secutum esse coniecerint, errore lapsi sint. Tantum enim abesse ut ex iis, quae narrentur, collegerint quis Pseudo-Victoris auctor fuerit, ut, antequam illum cum aliis scriptoribus comparaverint, e rerum quae tradantur natura auctorem quendam coniecerint. Quae de Pseudo-Victoris fontibus ipse contulit, maiorem partem mera coniectura niti ipse profitetur et in fontibus investigandis ita egit, ut inprimis animum attenderet ad eos fontes, quibus scriptor posterioris aetatis usus esse posset. Primum

1) Cf. de vir. ill. 77.

eum auctorem, quem Pseudo-Victor et Ampelius excerpserint, elogia et Florum [1]) usurpasse affirmat. Spero me supra (cap. II et V) satis luculenter ostendisse hanc sententiam reiciendam esse. Pseudo-Victorem praeterea e Livii epitome, ex exemplorum libro quodam, e libro de cognominibus et e Frontino pendere coniecit. At Pseudo-Victorem e Livii epitome hausisse non veri simile esse putamus, quod apud illum non Livii ipsius sed eorundem fontium, quibus Livius usus est, vestigia inveniuntur, id, quod infra ostendere conabimur. Quod nulli exemplorum libri neque de cognominibus scripta, e quibus Pseudo-Victor hausisse poterat, nobis supersunt neque fragmenta ex iis libris relicta aliquid afferunt ad consensum Pseudo-Victoris cum iis scriptis statuendum neque probare neque redarguere Enmanni coniecturam possumus. Neque ei concedimus strategemata quaedam, quae apud Pseudo-Victorem inveniuntur, e Frontino fluxisse. Nam cum locos, quos Enmannus laudavit, accuratius perpenderimus, videbimus veri simile esse auctorem, quem Pseudo-Victor secutus sit, eodem fonte, quo Frontinum, usum esse, non ipsum e Frontino pendere.

Front. Strat. I, 1, 1.	de vir. ill. 47, 2.
Cato devictas ab se Hispaniae civitates existimabat in tempore *rebellaturas* fiducia murorum. *Scripsit* itaque *singulis, ut diruerent* munimenta ... *unaquaeque* urbium *sibi soli credidit imperatum.*	Cato consul Celtiberos domuit et ne *rebellare* possent *litteras ad civitates singulas misit*, ut muros *diruerent.* Cum *unaquaeque sibi soli imperari putaret*, fecerunt.

Si Frontinus de *Celtiberis*, Pseudo-Victor de *Hispaniae civitatibus* egisset, fieri potuit ut Pseudo-Victor e Frontino penderet. Nunc praestat putare Pseudo-Victoris cum Frontino consensum ex usu eiusdem fontis ortum esse, ubi fortasse mentio facta est de Celtiberis, Hispaniae gente.

Front. l. l. I, 1, 12.	de vir. ill. 61, 5.
Metellus Pius in Hispania interrogatus, quid postera die facturus esset, *tunicam me-*	Metellus Macedonicus amico cuidam, quid acturus esset roganti, *tunicam, inquit,*

1) Enmannus Hildesheimeri de Floro iudicium probat.

am, si id eloqui posset, inquit, comburerem.	meam exurerem, si eam consilium meum scire existimarem.

Hildesheimerus (l. l. p. 44) iam ostendit Pseudo-Victorem id taciturnitatis exemplum non ex ipso Frontino desumpsisse, quod Pseudo-Victor hoc dictum recte Q. Caecilio Metello Macedonico, Frontinus Q. Caecilio Metello Pio attribuerit.

Front. l. l. II, 3, 24.	de vir. ill. 38, 1.
C. Duilius, cum videret graves suas naves mobilitate Punicae classis eludi . . . excogitavit manus ferreas quae ubi apprehenderunt hostilem navem. . . .	C. Duilius, cum videret eos (Carthaginienses) multum mari posse, classem . . . fabricavit et manus ferreas cum irrisu hostium primus instituit, quibus inter pugnandum hostium navem apprehendit.

Pseudo-Victor manus ferreas hostibus ludibrio fuisse narrat, de qua re Frontinus ne verbo quidem agit.

Tandem Enmannus coniecit Eutropium nonnullis locis praeter Livii epitomen auctorem, quem Pseudo-Victor excerpserit, usurpasse, quod ex iis, quae Eutropius de bello cum Pyrrho gesto tradidit, probare conatur. Ibi Eutropium duos errores commisisse, quod tradat:

I. Pyrrhum ad Asculum victum et Tarentum fugatum,

II. Fabricium contra eum missum esse. De Pyrrhi ad Asculum clade et fuga Pseudo-Victorem quoque mentionem facere, cuius auctor hic e Floro pendeat. Florum ad Asculum a Curio et Fabricio consulibus pugnatum esse vitiose rettulisse, contra Eutropium ibi a P. Sulpicio et Decio Mure consulibus dimicatum esse tradidisse. Eutropium igitur cladem Pyrrhi ex auctore, e quo Pseudo-Victor pendeat, nomina consulum e Livii epitome desumpsisse. Deinde Eutropium apud eundem auctorem proditionem medici Fabricio et Curio consulibus memoratam invenisse et idcirco finxisse Fabricium quo anno re vera consul esset, contra Pyrrhum missum esse. Praeterea nonnulla apud Eutropium et Pseudo-Victorem congruere, quae aliunde satis nota sint [1]). Sed non opus est talibus artificiis difficultates in

1) Iure Enmannus ea, quae apud Pseudo-Victorem de medici proditione cum Eutropio ad verbum congruunt, additamentum, ex Eutropio desumptum, esse putat. Quod additamentum in fere omnibus codicibus et editionibus non invenitur.

Eutropii narratione enucleare. Quae his de rebus Eutropius tradidit, ex eodem fonte desumpta esse manifestum est, unde Dio Cassius hausit [1]), quem nemo eundem auctorem, quem Pseudo-Victor excerpserit, secutum esse contendet. Nam Dio Cassius (Zon. VIII, 5) tradit apud Asculum Romanos vicisse, Pyrrhum vulneratum esse et Tarentum discessisse *πρὶν τοὺς Ῥωμαίους αἰσθέσθαι* (quod profecto non multum a fuga differt) et sequente anno Fabricium et Pappum consules contra eum missos esse. Qui consules apud Asculum pugnaverint, Zonaras non refert, sed hic non ab Eutropio discrepare inde apparet, quod Decium Murem ibi pugnasse tradit. Quae de medici proditione Eutropius narrat ad verbum congruunt cum Dionis fragmento.

Eutr. II, 14.	Dio Cass. fr. 40, 44. (ed. Dind.)
Tum, cum vicina castra ipse (Fabricius) et rex haberent, medicus Pyrrhi ad eum nocte venit, promittens se veneno Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur, quem Fabricius vinctum reduci iussit ad dominum Pyrrhoque dici, quae contra caput eius medicus spopondisset. Tum rex admiratus eum dixisse fertur: »Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo averti potest."	*ὅτι ἀντικαθεζομένων μετὰ στρατευμάτων ἀλλήλοις Φαβρικίου καὶ Πύρρου, ἀνήρ τις τῶν περὶ τὴν θεραπείαν τοῦ βασιλέως ὡς τὸν Φαβρίκιον ἀφίκετο δηλητηρίοις φαρμάκοις ἀνελεῖν τόν Πύρρον ὑφιστάμενος, εἴ οἵ τις δοθείη παρ' αὐτοῦ χρημάτων ὠφέλεια· ὃν ὁ Φαβρίκιος ἀποστυγήσας ἀποπέμπει τῷ Πύρρῳ δέσμιον. ὁ δὲ Πύρρος ἀγασθεὶς ἀναβοῆσαι λέγεται. οὗτός ἐστι Φάβρικιος, ὃν δυσχερέστερον ἄν τις παρατρέψειε τῆς οἰκείας ἀρετῆς ἢ τῆς συνήθους πορείας τὸν ἥλιον."*

Praeterea admonendum auctorem, e quo Pseudo-Victor pendeat, si Florum secutus esset, id, quod negamus, narraturum fuisse medicum ad Curium non ad Fabricium venisse. [2])

His omnibus perpensis Enmanni de Eutropii fontibus coniectura reicienda esse mihi videtur.

---

1) Descriptio pugnae apud Asculum, quae apud Orosium IV, 1, 19—23 legitur, quoque cum Eutropii narratione convenit.

2) Cf. Flor. I, 13, 21. Qui porro ipsi duces! vel in castris, cum medicum venale regis caput offerentem Curius remisit.

CAPUT VIII.

Antequam expono, quid de fontibus libri, qui inscribitur de Viris illustribus urbis Romae statuendum esse mihi videatur, de Pseudo-Victoris cum Ampelio consensu disputabo.

Iam Dukerus et Beckius in Ampelii recensionibus, quas ediderunt, Pseudo-Victorem nonnullis locis cum Ampelio convenire observarunt eumque consensum inde ortum esse putarunt, quod Ampelius nonnunquam Pseudo-Victorem secutus sit. Woelfflinus (De L. Ampelii libro memoriali quaest. crit. et hist. p. 35—42.) recte ostendit idcirco Ampelium cum Pseudo-Victore congruere, quod uterque ex eodem auctore pendeat. Quaedam enim apud Ampelium inveniri, quae in libro de Viris illustribus non legantur, sed ea tantum abesse, ut discrepent ab iis, quae a Pseudo-Victore tradantur, ut ea potius supplere videantur. Supra vidimus omnes, qui post Woelfflinum de fontibus de viris illustribus libri scripserint, eius sententiam secutos esse, etiamsi de fonte, quo Ampelius et Pseudo-Victor usi sint, maxime inter se differant.

Hac quaestione diligenter examinata libentissime Woelfflino concedo Pseudo-Victorem et Ampelium e communi auctore pendere. Cuius auctoris vestigia apud Ampelium capitibus 18—22, 26—29, 40, 42—47 exstant, quae autem in ceteris capitibus, ubi de rebus Romanis agitur, Ampelius tradit, ex eodem fonte fluxisse possunt capite 25 excepto, ubi, ut Woelfflinus coniecit, Florus adhibitus esse videtur [1]). Praeter hunc communem

---

1) Woelfflinus coniecit Ampelium in capitibus 18—22, fortasse etiam 28 et 39, Hauptius in capitibus 17—22, 27, 28, 40, 42, 47, Hildesheimerus in capitibus 17—22, 27, 28, 45, 47 eodem fonte usum esse quo Pseudo-Victorem. At, quia putant hunc fontem vitarum quendam librum esse, in iis tantum

fontem Ampelius interdum aliis fontibus usus est, id, quod duobus locis (18, 25. 30, 5)[1]) ipse profitetur. Quaedam enim apud eum inveniuntur, quae prorsus discrepant ab iis, quae Pseudo-Victor tradidit. Attamen in his rebus summa vigilantia adhibenda est. Nam non uno loco hae discrepantiae Ampelii textui recepto tribuendae sunt, qui uno tantum codice nititur (cod. lat. 10383 in bibl. Monach.) apographo Iureti codicis, quod Salmasium sua manu descripsisse veri simile est (Cf. Salmas. praef. ad Flor. et Amp. edit. et Woelffl. l.l. p. 8—13). Id apographon, quod codicis instar habendum esse Woelfflinus recte coniecit, mendis scatere videtur. Neque Pseudo-Victoris textus receptus ubique ad optimorum codicum fidem castigatus est[2]). Praeterea nonnullis locis Pseudo-Victor et Ampelius inter se discrepant, quod neglegentius auctorem suum excerpserunt.

---

capitibus huius fontis vestigia inveniri existimaverunt, ubi res narrentur, quae e vitarum quodam libro fluxisse possint. Sed, ut supra ostendi, hae sententiae nullis firmis argumentis nituntur. Attamen si ea, quae in ceteris capitibus, ubi de rebus Romanis agitur, perlegimus, videmus caput 46 ex eodem fonte manasse quo caput 18.

Amp. 18, 6.	Amp. 46, 6.
Alter Fabius Annibalem mora fregit, ex quo Cunctator est cognominatus.	Fabius sive Cunctator, qui imminentem urbis excidio Annibalem mora fregit.

Cf. de vir. ill. 43, 2. Fabius Cunctator Hannibalem mora fregit.

Amp. 18, 12.	Amp. 46, 6.
Nero, qui venientem ab Hispania Asdrubalem excepit copiasque eius .. devicit, qui, si se cum Annibale iunxisset, dubitari non potest, parem eius populum Romanum futurum non fuisse.	Nero, qui venientem ab Hispania Asdrubalem ... priusquam se Annibali iungeret, excepit et ingenti proelio vicit.

Cf. de vir. ill. 48, 1. Hasdrubal .. ingentibus copiis in Italiam traiecit actumque erat de Romano imperio, si iungere se Hannibali potuisset. Sed Claudius Nero .... Hasdrubalem vicit.

Caput 44 ex eodem fonte manasse videtur, quo caput 47, nam in utroque capite Flaminius et Flamininus inter se confunduntur. (Cf. de vir. ill. 51). In capite 43 eiusdem fontis vestigia inveniuntur, e quo de vir. ill. 77, 8 fluxisse videtur. Ampelius enim et Pseudo-Victor parum recte tradunt in primo triumviratu Caesarem Galliam, Crassum Syriam et Pompeium urbem obtinuisse.

1) Cf. supra p. 32 adn. 2.

2) Cf. Hild. l.l. p. 81.

Diversitas fontium his locis apparet.

Amp. 18, 6.	de vir. ill. 32.
Fabii duo, quorum alter una pugna Etruscos, *Samnitas*, Umbros Gallosque subegit, libertinos e tribubus repurgavit ideoque Maximus cognominatus.	Fabius — — ob virtutem Maximus — — tertio de Gallis, Umbris, *Marsis* atque Tuscis triumphavit .. libertinos tribubus amovit.

De populis, bello a Fabio domitis, Ampelius consentit cum Liv. X, 21, 12, Oros. III, 21, Front. Strat. I, 8, 3. At Pseudo-Victoris errore factum esse, ut hic ab Ampelio discrepet, inde apparet, quod 27, 3, ubi de eodem bello agit, eosdem populos quos Ampelius enumerat. Ampelius recte tradidit Fabium propter ea, quae contra libertinos egisset, Maximum appellatum esse (Cf. Liv. IX, 46, 15. Val. Max. II, 2, 9), at quae Pseudo-Victor hac de re narravit, apud nullum alium scriptorem inveniuntur.

Amp. 18, 14.	de vir. ill. 63, 1.
Huius (Metelli Numidici) filius Pius cognominatus est, *quod patrem in exilium secutus* est.	Metellus Pius, quia *patrem lacrimis et precibus assidue revocavit.*

Pseudo-Victor congruit cum Val. Max. V, 2, 7, App. bell. civ. I, 33, Dion. Cass. fragm. 95 (ed. Dind), Diod. Sic. Exc. de virt. et vit. p. 609. Unus Ampelius refert idcirco Metello cognomen Pium inditum esse, quod patrem in exilium secutus sit.

Hildesheimerus l.l. p. 56 praeterea attulit Amp. 21, qui Lartem Tolumnium Veientium regem et de vir. ill. 25, qui eundem Fidenatium ducem facit. Sed hic nulla controversia est; omnes enim, qui de Tolumnio agunt, eum, Veientium regem, in hoc bello Fidenatibus praefuisse narrant [1]). Supra (cap. VI) exposuimus non faciendum esse cum Rosenhauero, qui Ampelium et Pseudo-Victorem ea, quae de Fabiis tradunt, non ex eodem fonte hausisse idcirco putet, quod hic de trecentis sex, ille de trecentis Fabiis agat.

Hae discrepantiae textui depravato tribuendae esse videntur.

---

1) De eadem discrepantia, quae apud Florum esse videtur, infra disputandi copia erit.

Amp. 19, 1 de Mano Agrippa agit, qui apud omnes alios scriptores Menenius appellatur. Quis est quin Dukeri coniecturam probet, qui pro Mano Menenium legendum esse putet?

Solus Ampelius 27, 2 Marcum Maelium eum vocat, qui apud Pseudo-Victorem et ceteros scriptores Spurius Maelius vocatur. Luce clarius est Marcum ex dittographia litterae M ortum esse.

Amp. 18, 17.	De vir. ill. 63, 2.
Sertorius ubique adversante fortuna insuperabilis fuit.	Metellus Pius ... Sertorium Hispania expulit.

Quae Pseudo-Victor hic narrat non solum aperte pugnant cum iis, quae cap. 77, 4 de Sertorio, a Pompeio victo, tradit, sed etiam locus ipse multas difficultates praebet; non enim veri simile est Pseudo-Victorem ita scripsisse: »consul in Hispania Herculeios fratres oppressit; Sertorium Hispania expulit." Sin textus receptus ea tradit, quae Pseudo-Victor scripsit, non dubitari potest quin neglegentia aut errore lapsus ea de Sertorio narraverit. Omnes enim, qui de bello cum Sertorio gesto egerunt, eum in Hispania Pompeii opera a suis interfectum esse tradunt.

Praeterea his locis aut Ampelii aut Pseudo-Victoris neglegentia factum est, ut inter se dissentirent.

Amp. 28, 4.	de vir. ill. 42, 4.
Annibal Scipionem Liternum, Tiberium Claudium apud Trebiam... superavit.	Hannibal P. Scipionem apud Ticinum, Sempronium Longum apud Trebiam... superavit.
Amp. 46, 4.	
Prima clades huius belli apud Liternum vulnerato patre Scipione... secunda clades apud Trebiam vulnerato Flacco consule.	

Primum non licet, ut Hauptius fecit, qui pro Literno Clastidium legendum esse coniecit, [1]) dubitare de integritate vocis Literni, nam si haec vox librarii errori tribuenda esset, non

1) Neque Salmasii coniectura, qui Ticinum legit, probanda est.

duobus locis apud Ampelium fere eodem modo depravari potuit. (In cod. Mon. c. 28 Liternium, c. 46 Listernum legitur.) Literni Scipionem filium villam habuisse ibique mortuum esse [1]) Ampelius legit. Vocem igitur Literni cum Scipionis nomine apud auctorem, quem sequitur, coniunctam invenit, qua re fortasse deceptus Literni Scipionem devictum esse tradidit. Tali modo egit in clade ad Trebiam tradenda. Satis constat ibi cum Hannibale conflixisse P. Scipionem patrem et Ti. Sempronium Longum. Unde tandem Tiberius Claudius? Nomen Tiberii Claudii cum P. Scipionis filii nomine coniunctum legit, ubi agebatur de Ti. Claudio consule cum P. Scipione, quocum pari imperio erat, in Africam misso (Cf. Liv. XXX, 27, 5). Altero loco, ubi de Hannibale Ampelius agit, narrat Flaccum consulem apud Trebiam vulneratum esse. Quo anno (535) apud Trebiam pugnatum est, Scipio et Sempronius Longus consules fuerunt, contra Q. Fulvius Flaccus anno 541 consulatum gessit. Ex iis, quae hac de re contuli, satis manifestum est, Ampelium in bello Punico secundo enarrando neglegentissime auctore, quem sequatur, usum esse. Non enim cogitari potest eum tales errores in fonte suo invenisse. [2])

Amp. 47, 3.	de vir. ill. 71, 3.
Populus Romanus .. per eundem Scipionem (Aemilianum) Lusitaniam et ducem Viriathum vicit.	Caepio cum vincere aliter non posset, duos satellites pecunia corrupit, qui Viriathum humo depositum peremerunt.

Quae Pseudo-Victor hac de re tradit recte sese habent. Ad Ampelium, qui solus Viriathum a Scipione victum esse narrat,

1) Cf. Liv. XXXVIII, 52. 53. Dio Cass. fr. 63.

2) Nulla est causa cur cum Hauptio (l.l. p. 28) et Rosenhauero (l.l. p. 21) putemus Ampelium cap. 28 et cap. 46 diversos fontes adhibuisse. Putant enim Ampelium cap. 28 e Nepote pendere, quod huic assentiens „bellum Hannibalis tanquam triumphum eius continentem exponat." Sed quae hac de re illi viri docti attulerunt, non magni momenti esse videntur. Nam veri simile est aut nonnulla in extremo capite 28 deesse aut Ampelium in hoc capite tantum victorias ab Hannibale reportatas narraturum fuisse (Marcellus enim et Sempronius Gracchus non solum Hannibalem vicerunt, sed etiam ab eo victi sunt.). Nam, si Ampelius, Nepotem secutus, totum bellum cum Hannibale gestum narraturus fuisset, de Hannibalis clade apud Zamam non tacuisset (Cf. Nep. Hann. VI, 3).

hoc errore absolvendum Perizonius Animadv. hist. p. 428 haec attulit: »Possumus forte et Ampelio ex parte succurrere, si statuamus scripsisse eum *per Caepionem Lusitaniam* cet. idque sollemni scribarum oscitantia transisse primo in notius illud nomen *Scipionis*, ab alio deinde additum τὸ *eundem*, intellegente et a ceteris lectoribus intellegi volente eum Scipionem, de quo proxime praecesserat." (Cf. App. bell. civ. II, 14, ubi pro Καιπίωνι Σκιπίωνι legitur.) Etiamsi libentissime fateor ea, quae Perizonius hac de re scripsit, satis ingeniose inventa esse, vereor ne audacius sit tali modo difficultates enucleare. Potius crediderim hoc loco Ampelium a Pseudo-Victore discrepare, non quod alium fontem secutus sit aut quod textus receptus depravatus sit, sed quod Ampelius errore lapsus ea, quae a Q. Fabio Maximo *Aemiliano* gesta esse legerat, fratri P. Cornelio Scipioni *Aemiliano* tribuit. Constat enim Viriathum a Q. Fabio Maximo Aemiliano victum esse (Cf. App. Iber. 65).

Restant tres loci, ubi Ampelius a Pseudo-Victore discrepare videtur, sed cum diligenter eos aut inter se aut cum aliis scriptoribus, qui de iisdem rebus agunt, comparamus, videmus nullam controversiam inter eos exstare.

Amp. 18, 19.	de vir. ill. 77, 7.
Pompeius .. magnam partem Asiae inter Oceanum, Caspium Rubrumque victoriis suis triumphisque peragravit.	Pompeius .. primus in Hyrcanum, Rubrum et Arabicum mare usque pervenit.

Res, quae narratur, apud utrumque eadem est, sed quod mare Pseudo-Victor Hyrcanum vocat, apud Ampelium Caspium appellatur, quod Pseudo-Victor mare Rubrum apud Ampelium Oceanus vel Indicus Oceanus,[1]) quod Pseudo-Victor mare Arabicum apud Ampelium mare Rubrum. (Cf. Amp. 7, 1: »Mare, quo cingimur, universum vocatur Oceanum. Hoc quattuor regionibus irrumpit in terras: a septentrione vocatur Caspium, ab Oriente Persicum, a meridie Arabicum, idem Rubrum et

---

1) Cf. Amp. 47, 5 Sub hoc.. duce (Pompeio) (populus Romanus) ad Indicum Oceanum et Rubrum mare usque pervenit.

Erythraeum [1])." Veri simile est alterutrum nomina marium, quae apud communem auctorem legisset, mutasse.

Amp. 19, 6.	de vir. ill. 66, 12.
Livius Drusus per insidias a Philippo consule domi suae interfectus est.	Livius Drusus ... cum domum se reciperet, inmisso inter turbam percussore corruit. Invidia caedis apud Philippum et Caepionem fuit.
Amp. 26, 4.	
Livius Drusus a Philippo consule in domo sua interfectus est.	

Si ea, quae Velleius II, 14, 1 de Drusi caede narrat, comparamus cum iis, quae ab Ampelio et a Pseudo-Victore narrantur, videmus fieri potuisse ut uterque ex eodem fonte sua hauriret. Apud Velleium haec leguntur: »Tum conversus Drusi animus, quando bene incepta male cedebant, ad dandam civitatem Italiae: quod cum moliens revertisset e foro, immensa illa et incondita, quae eum semper comitabatur, cinctus multitudine in atrio domus suae cultello percussus .. intra paucas horas decessit."

Amp. 19, 7.	de vir. ill. 77, 3.
Lutatius Catulus, qui Lepidum acta Sullae rescindere volentem admoto exercitu Italia fugavit.	Lepidum acta Sullae rescindere volentem (Pompeius) privatus Italia fugavit.

Hic nulla controversia inter Ampelium et Pseudo-Victorem exstat. Nam satis notum est Lepidum a Lutatio Catulo et a Pompeio fugatum esse. Cf. Flor. II, 11, 2: »Lepidus acta tanti viri (Sullae) rescindere parabat"; 7. a »Lutatio Catulo et Pompeio primo statim impetu retro pulsus."

Locis, quos supra enumeravi, exceptis nusquam Ampelius et Pseudo-Victor inter se discrepant. Qui consensus non casu quodam ortus esse videtur sed permultis locis congruentia inter

---

1) Cf. Plin. Nat. Hist. VI, 107. 108. Geminum mare. quod Rubrum dixere nostri, Graeci Erythrum .. in duos dividitur sinus. Is, qui ab oriente est, Persicus appellatur. Ex adverso est Arabia .. rursus altero ambitur sinu, Arabico nominato. — Cf. Tac. Agr. 11. Ann. II, 61, ubi, quem nos Persicum sinum vocamus, mare Rubrum appellatur.

utrumque eiusmodi est, ut luculentissime appareat Ampelium et Pseudo-Victorem e communi fonte sua hausisse. Nam non solum frequenter eadem iisdem fere verbis tradunt, quod, etsi magni momenti est, nonnunquam casu factum esse potest, sed eosdem errores committunt, eosdem homines inter se confundunt, tradunt ea, quae apud ceteros scriptores aut plane desiderantur aut perraro tantum inveniuntur. Attamen ille consensus non talis est, ut aut Ampelius e Pseudo-Victore aut Pseudo-Victor ex Ampelio sua desumpsisse putandus sit, immo nonnulli loci, quos afferam, ostendent eorum libros e communi fonte fluxisse, quod saepe ea, quae apud alterum desiderantur, alter expleat. Longum est enumerare singulos locos, qui aliquid ad nostram sententiam probandam afferre possunt. Quam ob rem e magna copia hos tantum proponam.

Amp. 18, 6. » 46, 6.	de vir. ill. 43, 2,

qui loci pag. 41 exscripti sunt.

Amp. 18, 8.	de vir. ill. 33, 7.
Curius, cum in foco rapas torreret, (legatis Samnitium aurum) offerentibus: Malo, inquit, in fictilibus meis (esse) et aurum habentibus imperare.	Legatis Samnitium aurum offerentibus, cum ipse (Curius) in foco rapas torreret, malo, inquit, haec in fictilibus meis esse et aurum habentibus imperare.

Amp. 18, 12. » 46, 6.	de vir. ill. 48, 1,

qui loci pag. 41 exscripti sunt.

Amp. 18, 18.	de vir. ill. 74, 7.
Lucullus, qui Asiacae provinciae spoliis maximas opes est consecutus et aedificiorum tabularumque pictarum studiosissimus fuit.	Lucullus... maxime signorum et tabularum amore flagravit.
Amp. 19, 3.	de vir. ill. 57, 1.
Tiberius Gracchus, qui Scipionem Asiaticum quamvis inimicum haberet, non est passus a tribunis in carcerem duci, quod	Tiberius Sempronius Gracchus Scipionem Asiaticum quamvis inimicum duci in carcerem non est passus.

diceret nefas ibi esse Scipionem, ubi captivi illius adhuc alligati tenerentur.

Amp. 19, 10.

Scaurus, qui vetuit filium in conspectum suum venire, quia bello Cimbrico deseruerat.

de vir. ill. 72, 10.

Idem (Scaurus) filium suum, quia praesidium deseruerat, in conspectum suum vetuit accedere.

Amp. 27, 4.

Manlius Capitolinus, cum pecunia complures debitores liberaret, suspectus regni affectati de Tarpeio saxo praecipitatus est.

de vir. ill. 24, 5.

Manlius Capitolinus.. cum.. addictos propria pecunia liberaret, regni affectati suspicione de saxo Tarpeio praecipitatus est.

Ampelius et Pseudo-Victor his locis errore lapsi sunt.

Amp. 18, 19.

Pompeius Cilicas toto mari dominantis intra quadragesimum diem vicit.

de vir. ill. 77, 4.

Pompeius... mox piratas intra quadragesimum diem subegit.

Idem error a Floro. I, 41, 15 commissus est (»Victoria quadragesimo die parta est.") Notum est e Liv. Ep. 99 et Plut. Pomp. 16 Pompeium quadraginta diebus piratas toto mari expulisse in Ciliciam, ubi undequinquagesimo die postquam Brundusio profectus erat, bellum confecit (Cic. de imp. Cn. Pomp. 12, 35).

Amp. 18, 21.

Post Augusti consecrationem (imperium Romanum) perpetua Caesarum dictatura dominatur.

de vir. ill. 79, 7.

Caesar Octavianus.. dictator in perpetuum factus.

Cf. Flor. II, 34: »Augustus dictus imperator perpetuus." Ex Suet. Aug. 52 et Dion. Cas. LIV, 1 satis constat Augustum dictaturam, a populo oblatam, recusasse.

Ampelius 20, 10. 28, 2 et Pseudo-Victor 30, 1 P o n t i o, duci Samnitium, qui ad Caudinas furculas Romanos sub iugum misit, cognomen T e l e s i n u m indunt, quod cognomen fuit Pontii, Marii filii socii, de quo cf. Plut. Sull. 29.

Amp. 28, 3.

Pyrrhus, rex Epirotarum, qui

de vir. ill. 35.

Pyrrhus, rex Epirotarum..

pro Tarentinis bellum cum Romanis gessit vastataque Campania ad vicesimum ab urbe lapidem pervenit, mox a Curio et Fabricio victus in patriam concessit.

auxilio Tarentinis bellum Romanis intulit... Ad vicesimum ab urbe lapidem castra posuit... A Curio et Fabricio superatus... in Siciliam traiecit.

Iam vidimus praeter Ampelium et Pseudo-Victorem, Florum [1]) eundem errorem commisisse, qui et apud Asculum et apud Beneventum Pyrrhum a consulibus Curio et Fabricio superatum esse tradat. Constat enim apud Asculum pugnatum esse a consulibus Sulpicio et Decio Mure, apud Beneventum a Curio Dentato et Cornelio Lentulo (Cf. Eutr. II, 13, 14).

Amp. 40, 4.

Quartum bellum (civile) Caesar Augustus (excitavit) adversus complures duces: contra Pompeium iuvenem bona paterna repetentem...

de vir. ill. 79, 2.

Caesar Octavianus... Sextum Pompeium Cnaei Pompeii filium bona paterna repetentem..... superavit.

Idem tradit Florus II, 14, 3: »quippe dum Sextus paterna repetit, trepidatum toto mari." Attamen aliae fuerunt causae belli, quod Octavianus cum Sexto Pompeio gessit, nam notum est post Caesaris caedem Antonio auctore Sexto Pompeio *ἀντὶ τῆς πατρῴας οὐσίας δεδημευμένης ἐκ τῶν κοινῶν δοθῆναι μυριάδας Ἀττικῶν δραχμῶν πεντακισχιλίας.* (App. bell. civ. III, 4)

Amp. 43.

Caesar Gallicos, Crassus Syriacos exercitus habebat: Pompeius horum viribus fretus in senatu dominabatur.

de vir. ill. 77, 8.

Cum Crassus Syriam, Caesar Galliam, Pompeius urbem obtineret.

Parum accurate et Ampelius et Pseudo-Victor de provincia, quae Pompeio in priore triumviratu obvenit, egerunt.

Uterque inter se confudit P. Scipionem Nasicam patrem et filium.

Amp. 19, 11.

Scipio Nasica, qui, quia non rite inauguratus consul videre-

de vir. ill. 44.

Publius Scipio Nasica, a senatu vir optimus iudicatus, Ma-

1) Flor. I, 13, 9. „Apud Asculum melius dimicatum est Curio Fabricioque consulibus." 11. „Lucaniae suprema pugna fuit ducibus isdem quibus superius."

tur, consulatu se abdicavit et domitis Dalmatis oblatum a senatu triumphum repudiavit statuasque, quas sibi quisque in publico posuerat, in censura sua sustulit. Censuit in senatu tamen Carthaginem non esse delendam, propterea optimus iudicatus.

Cf. Amp. 24.

Scipio Nasica, qui a senatu vir optimus est iudicatus.

trem Deum hospitio recepit. Is cum adversum auspicia consulem se a Graccho nominatum comperisset, magistratu se abdicavit. Censor statuas, quas sibi quisque per ambitionem in foro ponebat, sustulit. Consul Delminium, urbem Dalmatárum expugnavit. Imperatoris nomen a militibus et ab senatu triumphum oblatum recusavit.

Notum est Matrem Deum a Scipione patre, qui vir optimus Romae a senatu iudicatus sit, hospitio exceptam esse (Liv. XXIX, 14, Dio Cass. fr. 57, 61), reliqua, quae apud Pseudo-Victorem et Ampelium leguntur, ad Scipionem Nasicam filium pertinent.

Pseudo-Victor 51, 1 inter se confundit Flaminium et Flamininum. Narrat enim a Quinto Flaminio, »Flaminii, qui apud Trasimenum periit, filio" Philippum, regem Macedonum victum esse. Idem fecit Ampelius 16, 3. 44. 47, 1, ubi iniuria Woelfflinus codicis lectionem (Flamminius et Flaminius) mutavit.

Quae his locis narrantur aut apud nullum alium scriptorem aut perraro tantum inveniuntur.

Amp. 18, 10.

Marcellus.. docuit in bello, quoquomodo equites sine fuga cederent.

de vir. ill. 45, 3.[1])

Marcellus.. primus docuit quomodo milites cederent nec terga praeberent.

Id ab Ampelio et Pseudo-Victore tantum narratur.

Mucius Scaevola Cordus appellatur ab Ampelio 20, 3, a Pseudo-Victore 12, 1, a Dion. Hal. V, 25, a Zon. VII, 12. p. 335. C, in schol. Bob. ad Cic. Or. pro Sest. 21, 48, in Schol. ad Flor. I, 10 (Jahns Archiv. XVI. p. 99). Infra videbimus multa scholia e Pseudo-Victore aut ex auctore, quem secutus est, desumpta esse.

C. Gracchum armata familia Aventinum occupasse praeter Ampelium 26, 2 (convocatis ad pileum servis) et Pseudo-Victorem 65, 5 unus Appianus de bell. civ. I, 26 tradit

1) Non reicienda est lectio codicis Bruxellensis (apud Hildesh. l.l. p. 106).

(Γράκχος καὶ Φλάκκος σὺν ὅπλοις ἐξέθεον ἐπὶ τὸν 'Αϑυεντῖνον. διαθέοντές τε τοὺς θεράποντας συνεκάλουν ἐπ' ἐλευθερίᾳ.).

Amp. 28, 3.

Pyrrhus vastata Campania ad vicesimum ab urbe lapidem pervenit.

Amp. 45, 2.

... cum Pyrrhus ad vicesimum lapidem totam Campaniam populatus accessit.

de vir. ill. 35, 6.

Pyrrhus .. ad vicesimum ab urbe lapidem castra posuit.

Haec praeter Ampelium et Pseudo-Victorem unus Florus I, 13, 24 tradidit: »Victor primo proelio Pyrrhus tota tremente Campania — — a vicesimo lapide oculos trepidae civitatis fumo ac pulvere implevit".

Vidimus quam arte inter se cohaereant Pseudo-Victor et Ampelius et quam manifesto appareat, eos eundem auctorem secutos esse. Ostendimus Florum ex eodem auctore quo illos scriptores nonnunquam pendere Demonstravimus faciendum esse cum Enmanno, qui hunc libellum maioris libri epitomen esse coniecerit. Quae coniectura etiam hac re confirmatur, quod e comparatione Pseudo-Victoris cum Ampelio apparet librum de viris illustribus ea in angustum coacta continere, quae in maiore libro copiosius descripta sint.

Quae cum ita sint statuendum videtur quendam fuisse scriptorem, qui historiam regum et liberae rei publicae in vitis exponere studuerit. Quis hic scriptor fuerit et quibus fontibus usus sit, eruere non potuimus. Opera eius plane periisse videntur et hunc scriptorem eundem casum tulisse veri simile est, quem multos alios, quorum libri, postquam in scholarum usum contracti et excerpti essent, neglecti iacuerint et tandem plane perierint. Quicumque enim et librum de viris illustribus et librum memorialem perlegerit, libenter faciet cum iis [3]), qui hos libros ad scholarum usum conscriptos esse contendunt.

Neque facilius est inquirere in fontes, quibus ille Pseudo-Victoris et Ampelii auctor usus est. Vidimus non faciendum

3) Cf. Meyer. Zimmerm. Zeitschr. für die Alterthumsw II. 1835. p. 1043. Bernhardy. Hist. Litt. Rom. p. 715. adn. 514. Gräfenhan. Hist. Phil. Class apud antiquos. IV. § 293. p. 440. Hildesheimer. l.l. p. 55.

esse cum iis, qui per totum librum libros vitarum, quibus virorum illustrium tota vita describatur, adhibitos esse coniecerint. Quaestione denuo penitus investigata nobis persuasum est fieri non posse ut ex iis, quae Ampelius et Pseudo-Victor tradiderint, colligatur, quos scriptores eorum auctor secutus sit. Quod etiamsi dolendum est, attamen ad notitiam historiae Romanae id solum interest, ut statuamus quanta fides tribuenda sit iis rebus, quas Pseudo-Victor rettulerit. Ad eam statuendam necesse est, ut omnia, quae ab eo narrata sint, comparemus cum iis, quae ceteri scriptores de iisdem rebus tradiderint. Quod si fecerimus, videbimus Pseudo-Victoris auctorem fontes et optimae et pessimae notae usurpasse. Apud eum saepe inveniemus vestigia eorundem auctorum, e quibus Livius pendet. Utrum hos auctores ipsos inspexerit an ea, quae ab iis tradita sint, ex aliorum libris, qui illos annalium scriptores pro fonte habuissent, hauserit diiudicari non potest. Quamquam veri similius est eum non annales ipsos usurpasse. Contra non uno loco apud eum res eodem modo narratas esse comperiemus, quo scriptores posterioris aetatis res Romanas describere solebant. Copiosius hac de re agemus proximo capite, quo totum de viris illustribus librum percurremus atque omnes locos, ubi aliquid traditur memoratu dignum, cum iis scriptoribus, qui de iisdem rebus egerunt, comparabimus. Attamen nunc iuvat de iis tantum huius libri capitibus disputare, quae eandem historiae Romanae partem continent, quam Livius in decem primis libris enarravit. De reliqua huius libri parte postea occasione data eodem modo disserere decrevimus.

CAPUT IX.

Caput I. Unus Pseudo-Victor Procam Amulio et Numitori filiis reginum annuis vicibus habendum reliquisse tradit. Iustinus XLIII, 2 et Strabo V, 3 narrant quidem post Procae mortem Amulium et Numitorem regnum obtinuisse, sed apud eos de regno annuis vicibus habendo ne verbo quidem agitur [1]).

Notum est apud antiquos duas narrationes fuisse de Romuli et Remi educatione. Antiquior, quae apud Pseudo-Victorem quoque invenitur, tradit Romulum et Remum primum a lupa nutritos et deinde a Faustulo uxori educandos datos esse. Altera, quae posterioris aetatis est, eos lupae uberibus altos esse negat originemque huius fabulae eo refert, quod a Faustuli uxore, quae vulgato corpore inter pastores lupa vocaretur, educti sint. Luculentissime Mommsenus (Die echte und die falsche Acca Larentia. Quaest. Rom. II. p. 14, seq.) exposuit Faustuli uxorem, quae in antiquiore fabula nomine plane careret, posteaquam Acca Larentia, Herculis meretrix, cum ea confusa sit, Accam Larentiam vocatam eoque nomine Ciceronis aetate ab iis quoque, qui antiquiorem narrationem secuti sint, appellatam esse. Iniuria Hauptius (l. l. p. 41) in iis, quae Pseudo-Victor de Acca Larentia tradidit, idcirco Valerii Antiatis vestigia invenire putat, quod eam, quam Livius, Dionysius, alii Larentiam vel Laurentiam appellant, cum Valerio Antiate apud Gell. VII, 7, 5 (Cf. Plut. Rom. 4, Lic. Mac. apud Macr. Sat. I, 10, 17) Accam Larentiam vocet. At rectissime Mommsenus

1) Cf. praeterea Plut. Rom. 3. Τῶν ἀπ' Αἰνείου γεγονότων ἐν Ἄλβῃ βασιλέων εἰς ἀδελφοὺς δύο Νομήτορα καὶ Ἀμούλιον ἡ διαδοχὴ καθῆκεν. Ἀμουλίου δὲ νείμαντος τὰ πάντα δίχα, τῇ δὲ βασιλείᾳ τὰ χρήματα καὶ τὸν ἐκ Τροίας κομισθέντα χρυσὸν ἀντιθέντος, εἵλετο τὴν βασιλείαν ὁ Νομήτωρ.

ostendit apud Valerium Antiatem Accam Larentiam Romuli et Remi nutricem non fuisse [1]).

Pseudo-Victor facit cum iis, qui Romulum iure suo, non dolo usum »augurio victorem" fuisse tradunt (Cf. Enn. apud Cic. de Div. I, 48, 107, Ov. Fast IV, 817. V, 151. 461).

In Remi morte tradenda »vulgatiorem famam" sequitur Pseudo-Victor, quae eum, cum muros transiluisset, occisum esse refert. Quae autem hac de re tradit, apud plerosque alios scriptores non leguntur. Unus Ovidius cum eo plane congruit [2]). De Romuli lege, quam Remus muros transiliens violavit, praeter Ovidium et Pseudo-Victorem, Pomponius in Dig. I, 8, 11 tantum agit: »Si quis violaverit muros, capite punitur, sicuti si quis transcendet scalis admotis vel alia qualibet ratione. Nam cives Romanos alia quam per portas egredi non licet, cum illud hostile et abominandum sit; nam et Romuli frater Remus occisus traditur ob id, quod murum transcendere voluerit". Eum, qui Remum occidit, Celerem appellant Ovid. Fast. IV, 843. V, 469, Dion. Hal. I, 87, Plut. Rom. 10, Fest. v. Celeres. In hac de Remi morte narratione Hauptius (l. l. p. 41) et Rosenhauerus (l. l. p. 44) Valerium Antiatem adhibitum esse putant. Liebaldtius (de Val. Ant. progr. Nurnberg. 1840. p. 20), quocum Kiesslingius (de Dion. Hal. ant auct. lat. p. 22) et H. Peterus (Plut. fontes in Rom. vit. p. 153) faciunt, apud Valerium Antiatem Celerem

---

1) Momms. l.l. p. 14. adn. 32. „Gellius VII, 7 erzählt von der Acca Larentia, dass sie bei einigen Annalisten, worunter er den Antias nennt, auftrete als reiche Hetäre, die ihr Vermögen dem König oder der Gemeinde hinterlassen habe, dagegen bei Masurius Sabinus nach anderen Chroniken als Amme des Romulus. Damit ist doch gesagt, dass die erste Kategorie von der Acca Larentia als der Amme des Romulus nichts wusste, und einem Philologen, wie Gellius war, kann man schon zutrauen, dass er den Gegensatz der beiden Darstellungen richtig erfasst hat."

2) Cf. Ov. Fast. IV, 837, seq.

Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocarat,
  „Sintque, Celer, curae," dixerat, „ista tuae.
Neve quis aut muros aut factam vomere fossam
  Transeat, audentem talia dede neci."
Quod Remus ignorans humiles contemnere muros
  Coepit et „His populus," dicere „tutus erit?"
Nec mora, transiluit, rutro Celer occupat ausum.
  Ille premit duram sanguinolentus humum.

non Romulum Remum interfecisse coniecit. Antiatem enim apud Dion. Hal. II, 13 Romuli equites Celeres a Celere appellatos fuisse tradidisse, apud Serv. ad Aen. XI, 603 idcirco Celerem equitum tribunum a Romulo factum esse, quod Remum occidisset, itaque apud Antiatem Celerem Remi interfectorem fuisse. At Pseudo-Victor non ex ipso Antiate pendere mihi videtur, quod Antias equitibus praeter ducem Celerem tres centuriones (ἑκατοντάρχαι) praefuisse tradidit, Pseudo-Victor autem Celerem centurionem fecit. Iniuria igitur Hauptius Pseudo-Victorem ex Antiate pendere putat, quod, quem ceteri scriptores munitorem vel praefectum munitorum fuisse contendant, uterque centurionem vocet. [1])

Caput II. Pseudo-Victor et Livius manifesto ita inter se congruunt, ut eiusdem fontis vestigia apud utrumque inveniantur. Ubi autem Pseudo-Victor aliquid memorat, quod apud Livium desideratur, miro modo cum Plutarcho convenit et tantum abest, ut Pseudo-Victor et Plutarchus his locis a Livii narratione abhorreant, ut eam supplere videantur. Unum igitur eorum auctorum secutus esse videtur Pseudo-Victor, quos Livius et Plutarchus in Romuli vita describenda adhibuerunt. Attamen fieri non potest ut statuamus, quis hic fons fuerit, cum pleraque, quae de Romulo Livius et Plutarchus tradiderint, ad certum auctorem referre non possimus.

Quae de virginibus raptis Pseudo-Victor et Livius I, 9 tradunt, plane inter se congruunt, pluribus tamen Pseudo-Victor de nuptiali voce Talasii agit, ubi plane cum Plutarcho Rom. 15 convenit. Uterque enim refert idcirco »institutum esse, ut omnibus nuptiis Talasii nomen vocaretur, quod eae nuptiae feliciter cessissent." Bellum cum Caeninensibus gestum eodem modo apud Livium I, 10 quo apud Pseudo-Victorem narratur, Plutarchus Rom. 16 autem et Pseudo-Victor de nomine Acronis [2])

---

1) Recte Rosenhauerus l.l. ostendit Hildesheimeri coniecturam reiciendam esse, qui nullis certis argumentis usus probare studuerit Pseudo-Victoris auctorem hic e Varrone pendere.

2) Si Mommsenus (C. I. L. I. p. 283) recte coniecit Acronis nomen Augusti demum aetate vulgatum esse et Livio ignotum fuisse, fieri non

et de proelio singulari mentionem faciunt, de quibus rebus Livius plane tacet. De Tarpeiae proditione Livius I, 11 et Pseudo-Victor eadem narrant. Sed Livius non tradit Tatium Tarpeiae optionem muneris dedisse; apud eum haec tantum: »Tarpei filiam virginem auro corrumpit Tatius, ut armatos in arcem accipiat." Contra Pseudo-Victor: »ei T. Tatius optionem muneris dedit, si exercitum suum in Capitolium perduxisset.'' Hanc rem in Livii fonte traditam fuisse ex iis verbis sequitur, quae paulo infra apud eum legimus: »additur fabulae... pepigisse eam, quod in sinistris manibus haberent.'' Ea, quae Livius et Plut. Rom. 17 hac de re rettulerunt, e Fabio Pictore manasse videntur et plane discrepant ab iis, quae Calpurnius Piso apud Dion. Hal. II, 38 de eadem re narravit. [1])

Cum Livio I, 8, 7. 17, 5 [2]) Pseudo-Victor centum senatores sub Romulo fuisse tradit; contra alii scriptores ducentos aut centum et quinquaginta senatores a Romulo creatos esse referunt [3]). Causa cur Senatores Patres vocentur alia est apud Livium (ab honore), alia apud Pseudo-Victorem (a pietate), sed hac de re quot scriptores tot sententiae [4]). Cum Livio I, 13, 8. 36, 2 tres Tribus, Ramnenses, Tities, Luceres, cum equitum centuriis confudit [5]). Pseudo-Victor Lucerum nominis originem a Lucumone derivat [6]) de quo Livius: »Lucerum nominis et ori-

---

potest ut Pseudo-Victor id nomen e Livii fontibus desumpserit, sed aut nomen aliunde ei cognitum addidit aut auctorem secutus est, qui eundem quem Livius fontem usurpavit.

1) Cf. Lachmannus de font. hist. Liv. I. § 26. p. 53. H. Peterus Plut. font. in Rom. vit. p. 155.

2) Idem tradunt Vopisc. Tac. 1, Arnob. I, 41.

3) Ea, quae Weissenbornius ad Liv. I, 17, 5 attulit ad demonstrandum Livium hic aut errore lapsum esse aut apud auctorem suum legisse post Romuli mortem centum senatores e Ramnensibus creatos summae rerum praefuisse, nullis certis argumentis nituntur.

4) Cf. Schwegl. Hist. Rom. I. p. 635. adn. 1.

5) Cf. Schwegl. Hist. Rom. I. p. 497. adn. 2. Eundem errorem commisit Schol. Cruq. ad Hor. Art. Poët. 342.

6) Nonnulli codices exhibent: „Luceres a luci communione." Si hoc legendum est, Pseudo-Victor congruit cum iis, quae Plut. Rom. 20, Pseudo-Asc. in Verr. Act. II, I, 14, Schol. Pers. I, 20 p. 252 (ed. Jahn), de huius verbi origine tradiderunt.

ginis causa incerta est." P o p u l u m in triginta curias distributas esse Livius tradit; idem Pseudo-Victor de p l e b e narrat. At faciendum est cum Keilio (ed. de vir. ill. libr. p. 174), qui Pseudo-Victorem hoc loco voces populi et plebis non distinxisse putat. Veri simile est Pseudo-Victoris auctorem egisse de populo et eum, ignorantem antiquis temporibus populum patricios tantum continere, hanc vocem ita intellexisse ut aetate imperatoria usurparetur [1]). In Romuli consecratione enarranda Pseudo-Victor plane congruit cum Livio I, 16 et Plut. Rom. 27—29 [2]). Attamen Livius Romulum ad Caprae paludem exercitum recensuisse [3]), Pseudo-Victor et Plut. Numa 2 (ubi ex eodem fonte hausit quo in vita Romuli [4])) exercitum lustratum esse tradunt. Plutarchus Rom. 27 (*εἶναι δέ τινας οἳ . . . ἐτάραττον τοὺς πατρικίους*) et Pseudo-Victor post Romuli mortem seditionem ortam esse narrant, de qua Livius I, 16, 5 non nisi obiter agit: »sollicita civitate desiderio regis et i n f e n s a p a t r i b u s". Plut. Rom. 28 et Pseudo-Victor referunt Proculum, v i r u m n o b i l e m i u r e i u r a n d o confirmasse se Romulum vidisse [5]); de Proculi nobilitate et iureiurando Livius plane tacet. Aedem in colle Quirinali Romulo constitutam eumque Quirinum appellatum esse apud Pseudo-Victorem et Plutarchum Rom. 29 legis, apud Livium frustra quaeris.

Caput III. Hoc quoque capite Pseudo-Victor eundem auctorem secutus esse videtur, quem Livius, ubi de Numae vita agit,

---

1) Cf. cap. 18, ubi in prima secessione describenda de p o p u l o non de p l e b e agit.

Iniuria hoc loco Hildesheimerus p. 75. adn. 1. Pseudo-Victorem cum Dion. Hal. II, 7. congruere putat, Dion. enim non solum plebem sed et patres et plebem in tribus et curias distributas esse tradit (Cf. Schwegl. Hist. Rom. I. p. 627).

2) Adnotat Weissenb. ad hunc locum: „eine Heerschau, wohl mit einer Lustration verbunden."

3) Cf. Ov. Fast. II, 489—510. Mera coniectura nititur Hildesh. p. 71, qui putet Plutarchum, Ovidium, Pseudo-Victorem hic e Varrone pendere.

4) Plut. Num. 2. *θυσίαν δημοτελῆ — ἔθυε.*

5) Pseudo-Victor narrat Proculum Romulum in c o l l e Q u i r i n a l i vidisse, quod praeter eum unus Cic. de Rep. II, 10, 20 tradit. Itaque haec verba obstant ne putemus eum Plutarchum ipsum secutum esse.

praecipue adhibuit. Unus Pseudo-Victor tradit Numam Pompilium addicentibus avibus Romam venisse. Attamen hoc loco neglegentius id quod factum est narrasse videtur. Nam Liv. I, 18, 6, Dion. Hal. II, 60, Plut. Numa 7 referunt augurium post Numae adventum demum captum esse. De Vestae aede, quam Pseudo-Victor a Numa aedificatam esse tradit, Livius tacet. Notum est e Dion. Hal. II, 64 et Plut. Rom. 22 inter antiquos scriptores magnam fuisse controversiam, utrum Romulus an Numa aedem Vestae condiderit et Vestales legerit. Itaque quod Livius Numam Vestae cultum instituisse rettulit, apud Livii auctorem Numam aedis Vestae conditorem fuisse veri simile est. Cum uno Livio I, 20, 1. 2 Pseudo-Victor tradidit Numam tres flamines prodidisse. Et Livius I, 20, 4 et Pseudo-Victor Salios ab eodem rege institutos esse memorant, de Praesule Livius tacet. Cum ceteri scriptores de pontificum collegio egerint, Livius I, 20, 5 [1]) et Pseudo-Victor unum tantum pontificem a Numa lectum esse rettulerunt. Iniuria aut Pseudo-Victor aut librarius hunc pontificem maximum vocat, nam si unus tantum pontifex est, de pontifice maximo agere non licet. Livius I, 19, 2 de Iano tantum mentionem facit, apud Pseudo-Victorem Numa portas Iano gemino instituit. Numam annum in duodecim menses distribuisse et Livius I, 19, 6 et Pseudo-Victor tradiderunt, mensium autem, quos Numa anno adiunxit, nomina apud Livium desiderantur. De Numae decessu Livius non egit, apud eum (I, 22, 1) haec tantum: »Numae morte ad interregnum res rediit.'' Numam morbo mortuum esse praeter Pseudo-Victorem Calpurnius Piso apud Plut. Num. 21 et Eutr. I, 3 tradiderunt. In iis, quae de arcula, in qua Numae libri reperti sunt, narrat Pseudo-Victor, aut Cassium Heminam apud Plin. Nat. Hist. XIII, 85. 86 aut Calpurnium Pisonem apud Plin. l. l. 87 [2]) aut Varronem apud Aug. de civ. Dei VII, 34 secutus

1) Etiam sub Anci Marcii regno unum tantum pontificem Liv. 1, 32, 2 memorat.

2) Non facere possum cum Hildesheimero (l.l. p. 7) qui contendit fieri non posse ut ea, quae de Numae libris Pseudo-Victor tradiderit, e Pisone manaverint. Nam quia Livius l.l. eundem librorum numerum tradat quod Piso, totam de Numae libris historiam a Livio e Pisone haustam esse putat. Itaque Piso de duabus arculis mentionem fecisset, Pseudo-Victor autem de

esse videtur. De librorum numero, quem tantum Hemina, Piso, Varro diverse tradunt, ne verbo quidem agit Pseudo-Victor. Quam ob rem diiudicari non potest, cuius horum scriptorum vestigia apud Pseudo-Victorem inveniantur. Livius quae XL, 29 hac de re attulit ex alio fonte ac Pseudo-Victor desumpsit. Sed haec nostrae coniecturae de Livii et Pseudo-Victoris in Numae vita communi fonte haudquaquam obstant; nihil enim est cur putemus Livium ea, quae hac de re in libro XL attulerit, ex eodem fonte hausisse, quem in Numae vita tradenda adhibuerit.

Vidimus Pseudo-Victorem in iis, quae de Numae morte et libris tradiderit, cum Calpurnio Pisone congruere. Deinde Livius duobus locis, ubi de Iano (Cf. Pis. apud Varr. de ling. lat. V, 165) et de Iove Elicio (Cf. Pis. apud Plin. Nat. Hist. II, 140) agit, cum Pisone convenit. Num audacius est conicere hic illum Livii et Pseudo-Victoris communem fontem Calpurnium Pisonem esse?

Caput IV. Quae hoc capite traduntur, artissime cohaerent cum iis, quae Livius de Tullo Hostilio rettulit. Omnia, quae Pseudo-Victor de hoc rege attulit, apud Livium quoque inveniuntur. Duobus tantum locis Pseudo-Victor a Livio discrepat. Al-

---

una tantum egit. Sed etiamsi in librorum numero tradendo Livium cum Pisone congruere facile concedo, duo nobis obstant ne in reliqua narratione Pisonem ab eo adhibitum esse putemus. Primum iam Piso tradidit inter libros Pythagoricos fuisse, Livius igitur, si Pisonem pro fonte habuisset, non huius rei Antiatem auctorem laudasset („Adicit Antias Valerius Pythagoricos fuisse vulgatae opinioni, qua creditur Pythagorae auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodata fide."). Deinde satis luculenter Plinius memoravit Pisonem numero librorum excepto cum Cassio Hemina congruere, qui de una tantum arcula mentionem facit („Hoc idem tradit Piso cet.") et nulla est causa cur Plinii verba ita intellegamus, ut „nihil aliud significent nisi eandem rem Pisonem tradere, minime autem eodem, quo Cassius Hemina tradiderit, modo." Ceterum in hac quaestione Hildesheimerus sibi constare non videtur, nam pag. 66 Livium hoc loco vel Pisonem vel Antiatem secutum esse putat. Si autem cum Nisseno (Quaest. crit. de font. dec. IV et V ann. Liv. p. 236) Antias Livii auctor putandus est, omnia, quae Hildesheimerus attulit ad probandum fieri non posse ut Pseudo-Victor hic e Pisone pendeat, quippe quae solum Pisonis et Livii consensu in librorum numero tradendo nitantur, collabuntur.

tero loco Tullum Hostilium cum avo Hosto Hostilio confundit. Narrat enim idcirco Tullum regem creatum esse quod bonam operam adversus Sabinos navasset [1]). At fieri non potest, ut Tullus Hostilius contra Sabinos pugnaverit; nam bellum adversus Sabinos initio regni Romuli gestum est [Virgines Sabinae raptae sunt aut τετάρτῳ μηνὶ μετὰ τὴν κτίσιν (Cf. Fab. apud Plut. Rom. 14) aut κατὰ τὸν τέταρτον ἐνιαυτὸν τῆς Ῥωμύλου ἀρχῆς. (Cf. Gellius apud Dion. Hal. II, 31)]. Romulus XXXVII annos regnavit, Numae regnum XLIII, Tulli Hostilii XXXII annorum fuit: itaque si Tullus Hostilius cum Sabinis pugnasset, maior annos CXII natus mortuus esset, quod credi non potest Praeter Pseudo-Victorem nullus scriptor eundem errorem commisit.

In capitis fine Pseudo-Victor narrat Metium Fufetium postridie quam cum Fidenatibus et Veientibus pugnatum esset »ad gratulandum Tullio venisse et in diversa distractum esse"; contra Livius eum ipso pugnae die gratulatum, postero die distractum esse refert. At manifestum est idcirco Pseudo-Victorem hoc loco a Livio discrepare quod ille quam brevissime Metii Fufetii casum commemorare studuerit [2]).

---

1) Forsitan hoc errore Pseudo-Victor absolvendus sit. Apud eum legitur „Tullus Hostilius, quia bonam operam adversus Sabinos navaverat, rex creatus cet." Saepissime Pseudo-Victor in ipso vitarum initio (Cf. Enmannus l.l. p. 463) agit de virorum illustrium genere idque in ceterorum regum vitis facit. Fortasse legendum: „Tullus Hostilius, nepos Hostilii, qui (in duobus. cod. Arntz. pro quia) bonam operam adversus Sabinos navavit. (Ct. 6, 1. Lucius Tarquinius Priscus Damarati Corinthii filius eius, qui Cypseli tyrannidem fugiens in Etruriam commigravit. 51, 1. Q. Flaminius Flaminii qui apud Trasimenum periit filius. 56, 1. Aemilius Paullus filius eius, qui apud Cannam cecidit.) Eodem fere modo Livius I, 22, 1 quoque hac de re egit: „Inde Tullum Hostilium, nepotem Hostilii, cuius in infima arce clara pugna adversus Sabinos fuerat, regem populus iussit."

2) Rosenhauerus l.l. p. 36 hanc discrepantiam magni momenti esse putat, quod Pseudo-Victor hac de re idem tradat, quod Dion. Hal. III, 27 (πρὶν ἡμέραν λαμπρὰν γενέσθαι — μετ' οὐ πολὺ παρῆν ὁ Ἀλβανός). Quam ob rem iudicat non ipsum Livium sed Livii fontem usurpatum esse. Sed si re vera Pseudo-Victor ex eodem auctore penderet e quo Dionysius, Livii fons a Pseudo-Victore usurpatus esse non potuit, quod Dionysius, ubi de iis rebus, quae post pugnam cum Fidenatibus acta sunt, agit, alium auctorem ac Livius adhibuisse videtur.

Nihil igitur est cur his duobus locis commoti Pseudo-Victorem alium ac Livium auctorem secutum esse putemus; immo tam magnus hoc capite consensus inter utrumque est, ut haud absurde statui possit Livium ipsum a Pseudo-Victore adhibitum esse. Sed quia in ceteris huius libri partibus non Livius ipse sed eius fontes usurpati sunt, melius est iudicare Pseudo-Victorem hoc capite ex eodem quo Livium auctore pendere.

Caput V. Hoc quoque capite mirus est consensus inter Livium et Pseudo-Victorem. Quia autem Pseudo-Victor saepius ea quae Livius tradidit explet, eundem fontem uterque usurpasse videtur. Attamen antequam hos duos scriptores inter se confero, paucis disputandum est de loco quodam apud Pseudo-Victorem, qui foede depravatus est.

Legitur in codicibus »Aventinum et Murcium (aut Marcium aut Martium aut Curtium) montes urbi addidit". In uno tantum codice pessimae notae, codice Lignitiensi, anno 1511 conscripto [1]), invenimus pro Murcio Ianiculum. In omnibus fere editionibus idem legimus, sed eam coniecturam multo audaciorem esse nemo non concedet. Genuina lectio latere videtur in codice Vindobonensi 3, ubi legitur: »Aventinum ad Murtium montes urbi addidit". Legendum puto: »Aventinum ad Murciae montem urbi addidit". (Montem singulari numero in Editione Mediolanensi quoque invenitur.) Cf. Liv. I, 33, 5: »tum quoque multis milibus Latinorum in civitatem acceptis, quibus, ut iungeretur Palatio Aventinum, ad Murciae datae sedes". Veri simile est Pseudo-Victorem hanc rem tali modo narratam legisse et neglegentius ea, quae auctor exhiberet, excerpsisse.

Liv. I, 33, 6 refert Ianiculum ab Anco Marcio moenibus circumdatum esse; Dion. Hal. III, 43. 45 eundem regem Aventinum et Ianiculum muro cinxisse tradit; contra Pseudo-Victor scripsit »nova moenia oppido circumdedit". Utrum Pseudo-Victor ea, quae in fonte suo invenerit, vitiose tradiderit an ex alio fonte ac Livius hauserit incertum est, solus enim agit de oppido, moenibus circumdato [2]).

---

1) Cf. Keilius, praef. ad ed. de vir. ill. libr. p. IX.

2) Quae apud Florum I, 4, 2 leguntur: „Igitur et muro moenia amplexus est" omni sensu carent. Fortasse legendum: „igitur et muro Ianiculum am-

De silvis publicatis praeter Pseudo-Victorem Cicero de Rep. II, 18, 33 egit: »Ancus silvas maritimas omnes publicavit quas ceperat". Rectissime Schweglerus (Hist. Rom. I. p. 601. adn. 5) ostendit cum Pseudo-Victore et Cicerone Livium I, 33, 9 cohaerere, qui haec tantum scripsit: »Silva Maesia Veientibus adempta."

De Anci Marcii salinis soli Liv. I, 33, 9 (»Salinae circa (Ostiam) factae") et Plin. Nat. Hist. XXXI, 89 (»Ancus Marcius... salinas primus instituit") mentionem fecerunt; de salinarum vectigali unus Pseudo-Victor egit. Drakenborchius ad Liv. V, 45, 8 haec adnotavit: »Ancus videtur salinas redemtoribus exercendas locasse, unde salinarum vectigal instituisse dicitur apud Aur. Vict. de Vir. 5; vectigal igitur instituit quod redemtores solverent, non populus qui salariam annonam exercet. Primum enim Livium, inde Salinatorem dictum, Romanis vectigal instituisse recte contendit Burmannus de Vect. Rom. pop. VI. p. 90" [1]).

Cum Liv. I, 32, 5 et Serv. ad Aen X, 14 solis memorat Pseudo-Victor ius fetiale ab Anco Marcio ab Aequiculis translatum esse. De nomine Rhesi tacet Livius; mentio de eo praeterea fit apud Pseudo-Valerium, de praenom. 1.

Quae Pseudo-Victor de immatura Anci Marcii morte narrat, apud nullum alium scriptorem inveniuntur. Pseudo-Victor hunc regem paucos dies regnasse scribit; contra Liv. I, 35, 1, Eutr. I, 5, Cic. de Rep. II, 18, 33, Licinius Macer, Cn. Gellius (uterque apud Dion. Hal. IV, 6) eum complures annos (XXIII aut XXIV) regem fuisse tradunt.

Caput VI. Iam duo viri docti demonstraverunt Pseudo-Victorem hoc capite ex eodem auctore pendere, quem Livius inter fontes habuerit. Cuius fontis vestigia Rosenhauerus l.l. p. 38 ostendit in iis, quae uterque de Tarquinii Romam adventu tra-

---

plexus est." Nam e verbis, quae sequuntur: „et interfluentem urbi Tiberinum ponte commisit" luculenter apparet Florum novisse sub Anci Marcii regno Ianiculum urbi additum esse. Ianiculi autem munitio arte cohaeret cum ponte sublicio in Tiberi facto (Cf. Liv. I, 33, 6, Dion. Hal. III, 45). Veri simile est vocem „moenia" vel „moenibus" in margine adscriptam fuisse et postea voce „Ianiculum" elapsa in textum irrepsisse.

1) Cf. Keilius in loco.

diderunt. Reiecta Hildesheimeri sententia, qui putat (p. 18, adn. 5) Pseudo-Victorem 6, 3—5 ipsum Livium secutum esse, his verbis sententiam probare studet: »locum, quo narratur Tarquinii Prisci Romam adventus, ad communem fontem referendum esse docetur uno verbo, quod, servatum a Nostro, Livius omisit. Noster enim dicit advenienti Tarquinio aquilam pilleum sustulisse et, cum alte subvolasset, reposuisse, Livius autem (I, 34, 8) aquilam pilleum abstulisse superque carpentum volitantem capiti reposuisse. Neque igitur dicit aquilam alte subvolasse, quod tamen scriptum fuisse in fonte communi testis est ipse, qui hoc omisit, Livius, cum addit Tanaquilem accepisse id augurium et excelsa et alta sperare virum iussisse". Monendum Dion. Hal. III, 47 [1]) quoque tradere aquilam cum pilleo caelum altissimum petiisse."

Deinde C. Bardtius (Die Legende von dem Augur Attus Navius, Elberf. Gymn. progr. 1883. p. 8) rectissime exposuit Pseudo-Victorem de Atto Navio eadem tradere quae Livium, quod autem in Tarquinii Prisci vita duae res legantur, quae apud Livium plane desiderantur (Cypseli nomen et ea, quae Pseudo-Victor de praetexta bullaque rettulit) veri similius putat utrumque ex eodem auctore pendere.

Si ipsi utrumque scriptorem inter se comparabimus, videbimus eos ubique inter se convenire et praeterea apud Pseudo-Victorem nonnulla legi, quae apud Livium desiderentur. Iam vidimus Cypseli nomen a Pseudo-Victore tradi, a Livio omitti; praeterea Pseudo-Victor melius quam Livius causam Cypseli fugae exposuit (Pseudo-Vict. »Cypseli tyrannidem fugiens" — Liv. I, 34, 2 »ob seditiones domo profugus"). De modo, quo Tarquinius regnum obtinuit, Pseudo-Victor haec tradidit: »regnum intercepit et ita administravit, quasi iure adeptus fuisset" [1]).

---

1) Cf. Dion. Hal. III, 47. — — *καταπτὰς ἀετὸς ἄφνω, καὶ τὸν πῖλον αὐτοῦ τὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς κείμενον ἁρπάσας, ἄνω πάλιν ἀνέπτη, κατὰ τὴν ἐγκύκλιον αἰώραν φερόμενος καὶ εἰς τὸ βάθος τοῦ περιέχοντος ἀέρος ἀπέκρυψεν.*

1) Cf. Flor. I, 6, 2: „Servius Tullius regnum dolo partum sic egit industrie, ut iure adeptus videretur". Credo hunc consensum fortuitum esse neque cum Hildesh. l.l. p. 27 et Rosenh. l.l. p. 12 putandum Pseudo-Victorem errore lapsum in hoc caput transtulisse quae apud auctorem in Servii Tullii vita legisset.

Apud Cic. de Rep. II, 20, 35 »cunctis populi suffragiis rex est creatus L. Tarquinius." Idem Dion. Hal. III, 49 refert: τῆς βασιλείας ὑπὸ πάντων ἄξιος ἐκρίθη. Livius I, 35, 6 narrat quidem populum Romanum Tarquinium ingenti consensu regnare iussisse sed eum quodammodo dolose egisse inde sequitur, quod apud eum Tarquinius »comitiis indictis sub tempus Anci filios venatum ablegaverit." Apud Pseudo-Victorem et apud Livium I, 36, 2 non tribus sed centuriae tantum duplicantur. (Cf. supra p. 56).

Lachmannus (de font. Liv. I. § 26) et Niebuhrius (Hist. Rom. I. p. 396) ostenderunt, apud antiquos duas narrationes exstitisse de bellis a Tarquinio gestis, alteram eum cum Latinis, Sabinis, Priscis Latinis pugnasse tradere, alteram, quae posterioris aetatis sit, plura bella commemorare. Antiquiorem narrationem Livius et Pseudo-Victor sequuntur, triumphi tamen de Priscis Latinis mentio apud Livium desideratur.

Apud Pseudo-Victorem rex murum lapideum urbi circumdedit, apud Livium I, 38, 6 muro lapideo urbem cingere parat. At hoc loco Pseudo-Victor, cupiens quam brevissime res tradere, parum accurate ea, quae facta sunt, narrare videtur.

De Tarquinii filii virtute et donis praeter Pseudo-Victorem Plin. Nat. Hist. XXXIII, 10, Serv. ad Aen. IX, 590, Plut. Quaest. Rom. 101, Macr. Sat. I, 6 egerunt. Macrobius refert Tarquinii filium a patre praetexta bullaque donatum esse propter virtutem in bello contra Sabinos gesto, contra Plutarchus hoc in pugna cum Latinis et Sabinis commissa factum esse tradit.

Caput VII. Difficillimum est ostendere, quibus fontibus hoc capite Pseudo-Victor usus sit. Primum in hac vita nonnulla sunt, quae apud nullum alium scriptorem inveniuntur: praeter Pseudo-Victorem nemo scriptor tradit, a Servio Tullio mensuras et pondera instituta esse; unus Pseudo-Victor narrat Latinum non Sabinum bovem in Aventinum egisse. Servium annonam plebi distribuisse soli Pseudo-Victor et Chron. Anon. Vindob. ed. Momms. p. 645 commemorant. Deinde nonnullis locis a Livii narratione Pseudo-Victor discrepat. Livius I, 42, 2 de uno tantum bello cum Etruscis mentionem facit; contra Pseudo-

Victor cum Dion. Hal. IV, 27, Zon. VII, 9. p. 328. B, Fast. Cap. C. I. L. I. p. 453 plura bella cognoverunt. Recte Rosenhauerus (l.l. p. 38) exposuit Pseudo-Victorem a Livio I, 45 discrepare in iis, quae de immolando bove narrentur. Apud Livium enim Sabinum, apud Pseudo-Victorem Latinum bovem ad Aventinum egisse, apud illum quod vates cecinerint carmen palam factum esse et ad antistitem [1]) fani Dianae pervenisse, apud Pseudo-Victorem Latinum ipsum responsum sibi somnio datum sacerdoti exposuisse.

Neque ubi Pseudo-Victor de Tulliae scelere agit cum Livio 1, 46, seq. consentit [2]). Pseudo-Victor enim narrat Servium consulto filias moribus dispares ita Tarquinii filiis iisque diversorum ingeniorum in matrimonio collocasse, »ut omnium mentes morum diversitate leniret," Livius »forte ita incidisse . . fortuna populi Romani" refert. Apud Pseudo-Victorem »mites seu forte seu fraude perierunt," apud Livium a Lucio Tarquinio et Tullia minore interfecti sunt. Hic Tarquinium ipsum socerum gradibus deicientem facit, apud Pseudo-Victorem rex Tarquinii iussu gradibus deiectus est.

In reliqua huius capitis parte Pseudo-Victor a Livii narratione non discrepat. De Servii Tullii genere, pueritia, adulescentia apud utrumque eadem traduntur. Denique cum uno Livio Pseudo-Victor refert tres colles, Quirinalem, Viminalem, Esquilinum ab hoc rege urbi additos esse; contra Dion. Hal. III, 13 et Strab. V, 3, 7 Viminalem et Esquilinum tantum memorant.

Caput. VIII. Hoc capite neque Livius ipse neque Livii fontes adhibiti esse videntur. Primum apud Livium I, 49, 1 Tarquinio cognomen Superbo inditur, »quod socerum gener a sepultura prohibuerit, Romulum quoque insepultum periisse dictitans;" apud Pseudo-Victorem »Tarquinius Superbus cognomen moribus meruit." De bello cum Latinis tacent omnes scriptores praeter Pseudo-Victorem et Cic. de Rep. II, 24, 44 (»Omne Latium bello devicit."). Contra Liv. I, 50 et Dion. Hal. IV., 45—49

1) Cf. Plut. Quaest. Rom. 4. *ταῦτα καὶ ὁ Ἰόβας ἱστόρηκε καὶ Βάρρων, πλὴν ὅτι Βάρρων οὐχ ὑπὸ τοῦ ἱερέως ἀλλ' ὑπὸ τοῦ νεωκόρου παρακρουσθῆναι τὸν Σαβῖνον γέγραφεν.*

2) Cf. Rosenh. l.l. p. 37.

Tarquinium foedus cum Latinis nullo bello gesto fecisse referunt. De bello adversus Sabinos soli Pseudo-Victor et Fast. Cap. C. I. L. I. p. 454 mentionem fecerunt. Ferias Latinas a Tarquinio Superbo institutas esse apud Dion. Hal. IV, 49 et Pseudo-Victorem tantum legimus eosque hic a vulgari opinione discrepare testes sunt ipse Dionysius VI, 95 (ubi Tarquinium Priscum easdem ferias instituentem facit) et Schol. Bob. in Cic. pro Planc. 9, 2 (»Nam Latinae feriae a quo fuerint institutae dissentiunt plerique auctores. Alii a L. Tarquinio Prisco rege Romanorum existimabant, alii vero a Priscis Latinis."). Pseudo-Victor cum Liv. I, 56 et Dion. Hal. IV, 44 a Tarquinio foros in Circo factos esse tradit[1]). Errat cum Cloacam Maximam Quiritium fossas appellat, quas rege Anco Marcio factas esse Liv. I, 33, 7 et Paul. Diac. in voce referunt. Alias fossas, ab Anco Marcio ductas, quibus Ostiam circumdederit, idcirco Quiritium appellatas esse, quod populi opera factae sint, docet Festus in voce. Veri simile est Pseudo-Victorem Anci et Tarquinii opera hic inter se confudisse. Denique admonendum est, cum apud ceteros scriptores vates cecinerint Capitolium rerum caput fore, apud Pseudo-Victorem et Dion. Cass. fr. 11, 8 hoc vaticinium ad urbem pertinere (Dio Cass: τὴν πόλιν κεφαλὴν πολλῶν ἐθνῶν ἔσεσθαι; Pseudo-Vict.: eam urbem caput gentium futuram).

Caput IX. Ulricus Koehlerus. l.l. p. 41, Hauptius l.l. p. 12, Hildesheimerus l. l. p. 21 totum hoc caput e Livio fluxisse putaverunt. Quos rectissime redarguit Rosenhauerus l. l. p. 36, qui non Livium ipsum sed Livii fontem a Pseudo-Victore usurpatum esse ostendit. Teuffelium (apud Pauly Realenc. IV. p. 1192. adn. 1), qui demonstravit Livium I, 57. 58 et Ovidium Fast. II, 712—850 ex eodem auctore pendere, secutus, exposuit Pseudo-Victorem, Livium, Ovidium artissime inter se cohaerere, duobus tamen locis a Livio discrepare et Ovidium et Pseudo-Victorem. Apud Livium enim Sextum Tarquinium paucis interiectis diebus postquam cum Tarquinio apud Lucretiam fuisset, Collatiam rediisse, apud Pseudo-Victorem et Ovidium (767—786) eodem die

1) Plurimi codices pro foris lacus aut ludos exhibent.

Collatiam venisse. Deinde apud Livium tantum tradi Sextum »benigne a Lucretia exceptum esse," Pseudo-Victorem autem et Ovidium (788) narrare »iure propinquitatis" Collatini domum Sexto Tarquinio patuisse. Denique admonendum est unum Pseudo-Victorem Collatinum Tarquinii Superbi sorore genitum rettulisse, cum Livius I, 57 eum Egerii, qui fratris Tarquinii Prisci filius erat, filium fuisse tradiderit.

Caput X. Fere tota vita cum iis, quae Livius de Iunio Bruto tradidit, congruit. Livius de causis, cur Bruti frater occisus sit, non egit; narrat tantum »Brutum, cum fratrem inter primores civitatis interfectum esse audivisset, neque in animo suo quicquam regi timendum neque in fortuna concupiscendum relinquere statuisse" (I, 56, 7). Ex his verbis satis apparet apud Livii auctorem Bruti fratrem propter easdem causas, divitias et prudentiam, quas Pseudo-Victor tradiderit, a Tarquinio Superbo occisum esse. Unus Pseudo-Victor baculum cui aurum infusum fuit, quod Brutus Apollini donum tulit, sambuceum fuisse tradit, apud Livium corneum est [1]). Quae discrepantia a Rosenhauero l. l. p. 38 tanti aestimatur, ut prorsus neget Livii fontem in iis, quae Pseudo-Victor de iuvenum Delphos itinere rettulerit, adhibitum esse. De Bruti post mortem honoribus Livius II, 7, 4 narrat Valerium »collegae funus quanto tum potuerit apparatu fecisse, matronas annum Brutum luxisse"; de Valerii oratione funebri non egit, de qua praeter Pseudo-Victorem Dion. Hal. V, 17 et Plut. Publ. 9 mentionem fecerunt.

Caput XI. Cum Coclitis facinus ab omnibus scriptoribus eodem fere modo narretur, paucae tamen res eaeque parvi momenti sunt, ubi scriptores in hac narratione inter se discrepant. Quae res tamen apud Pseudo-Victorem plane desiderantur, quo fit, ut difficillimum sit diiudicatu quem auctorem secutus sit. E Livio non pendet, quia apud Livium non traditur, cur Horatio Cocles cognomen inditum sit; deinde apud Livium Horatii Co-

1) Alii scriptores, Val. Max. VII, 3, 2, Dion. Hal. IV, 69, Zon. VII, 11. p. 332, C de baculo ligneo tantum egerunt.

clitis statua in Comitio, apud Pseudo-Victorem in Vulcanali posita est. Fortasse Pseudo-Victor, more suo, rem, ut eius aetate sese habebat, exposuit (Cf. supra p. 8). E Gellio IV, 5 enim notum est, Horatii Coclitis statuam, in Comitio positam, postquam de caelo tacta esset, in area Vulcani statutam esse. Quam statuam etiam Plinii aetate exstitisse testis est ipse Plinius Nat. Hist. XXXIV, 22. Fortasse Rosenhauerus p. 45 recte vidit, ubi hoc caput ex eodem fonte, quo Plut. Publ. 16, fluxisse coniecit [1]). Ceterum Plutarchus cum Pseudo-Victore plane congruit, de Ianiculo tamen obsesso mentionem non facit.

Caput XII. Hoc capite quaedam sunt, quae aut perraro aut apud nullum alium scriptorem inveniuntur. Praeter Pseudo-Victorem et eos scriptores, qui ex eodem fonte hauserunt (Amp. 20, 3, Schol. Bob. in Cic. Or. pro Sest. 21, 48 [2]), solos Dion. Hal. V, 25, Zon. VII, 12. p. 335. C, Schol. ad Flor. I, 10 (Jahn's Arch. XVI. 1850. p. 99) de Mucio Cordo egisse iam supra exposuimus. (p. 50). Scaevolam purpuratum pro rege deceptum interfecisse Pseudo-Victor, Flor. I, 10, 5 et Schol. Bob. l. l. rettulerunt. Veri simile est Florum hic Pseudo-Victoris auctorem secutum esse. Inter Scholion Bob. et Pseudo-Victorem tantus est consensus, ut dubitari non possit, quin e Pseudo-Victore ipso aut ex eius auctore desumptum sit.

Schol. Bob.	Pseudo-Victor.
De C. Mucio Cordo non ignobilis historia, qui solus adulescens vigore animi strenuissimus cum Porsennam Etruscorum regem vellet occidere, deceptus similitudine habitus, purpuratum eius occidit comprehensusque virtutis miraculo dimissus est.	Mucius Cordus, vir Romanae constantiae. . in castra Porsennae venit ibique purpuratum pro rege deceptus occidit.

1) Rosenhauerus, Kiesslingium l.l. p. 24 et H. Peterum l.l. p. 45 secutus, Plutarchum in Publicolae vita Antiatem pro fonte habuisse putat.

2) Rectissime Hildesheimerus p. 45, seq. hoc et nonnulla alia scholia e Pseudo-Victore ipso aut ex eius auctore desumpta esse ostendit.

Liv. II, 12, 7, Zon. VII, 12. p. 335. D pro purpurato »scribam cum rege sedentem pari fere ornatu" memorant, apud Dion. Hal. V, 28 is, qui a Mucio interfectus est, γραμματεὺς ἐσθῆτα πορφυρᾶν ἐνδεδυκώς dicitur. Nescio quomodo Pseudo-Victor imperatoriam aetatem redolet, cum scribam purpurea veste ornatum purpuratum appellet. Fortasse Flori et Pseudo-Victoris communis auctor ipse primus eo nomine scribam designavit.

Cum apud ceteros scriptores aliae sint causae cur Mucius manum igni iniecerit, miro modo consentiunt Pseudo-Victor, Val. Max. III, 3, 1, Seneca Ep. 24, 5. de Prov. 3, qui tradiderunt Mucium dextram foculo iniecisse »hoc supplicii a rea exigentem, quod in caede peccasset." Denique unus Pseudo-Victor Mucio statuam honoris gratia constitutam esse narrat. Ceterum cum Livio congruit Pseudo-Victor.

Caput XIII. De Cloeliae facinore multum inter se discrepant scriptores. Plut. Publ. 19 narrat nonnullos tradidisse non omnes virgines flumen tranavisse sed μίαν αὐτῶν, ὄνομα Κλοιλίαν, ἵππῳ διεξελάσαι τὸν πόρον ἐγκελευομένην ταῖς ἄλλαις νεούσαις καὶ παραθαρρύνουσαν. Liv. I, 13, 6, Dion. Hal. V, 33, Serv. ad Aen. VIII, 646, Dio Cass. XLV, 31 eam flumen tranantem, Pseudo-Victor, Val. Max. III, 2, 2, Flor. I, 4, 7 eam equitantem fecerunt. De tempore, quo Cloelia facinus perpetravit, Livius non egit. Cum uno Valerio Maximo Pseudo-Victor eam noctu flumen tranasse refert; apud Dion. Hal. et Plut. virgines effugerunt, cum in flumine lavarentur. Hactenus narratio Flori et Valerii Maximi, qui manifesto eundem fontem quo Pseudo-Victor usurpasse videntur.

De virginibus ad Porsennam remissis Livius tradit Porsennam oratores Romam misisse ad Cloeliam deposcendam eamque a Romanis deditam esse. Eadem Servius et Pseudo-Victor narrant. Apud Plutarchum Valerius Publicola virgines, simulac ad eum venerunt, ad Porsennam remitti iussit. Apud Dionysium Valerius, qui eo tempore belli componendi causa in Porsennae castris erat, pollicetur se Romam rediturum et obsides remissurum esse. Et Livius [1]) et Servius et Pseudo-Victor de dono,

1) Nullis argumentis fretus Weissenborn ad Liv. II, 13, 9 contendit apud Livium virgines tantum obsides ad Porsennam missas esse. Neque 13, 4 neque 13, 9 Livius hoc indicavit. Contra Servius de virginibus tantum egit.

quod Cloelia a Porsenna accepit, inter se consentiunt; apud Dion. Hal., Plut., Dion. Cass. (Anecd. Bekk. I. p. 133, 8), Polyaen. VIII, 31 non parte obsidum sed equo magnifice ornato donatur. Cum omnes scriptores Cloeliae statuam in sacra via positam fuisse rettulerint, unus Pseudo-Victor eam in foro constitutam esse tradit.

Vidimus igitur in priore capitis parte Pseudo-Victorem ex eodem quo Florum et Valerium Maximum fonte pendere, in reliquo capite eadem quae Livium tradere, discrepare a ceteris scriptoribus.

Caput XIV. Multi viri docti hoc caput e Livio fluxisse putaverunt (Woelfflin. Philol. XI. p. 167, Momms. Quaest. Rom. II, p. 252. adn. 35, Hildesh. l. l. p. 21). Uno loco Pseudo-Victor eundem quem Livius II, 48. 49 errorem commisit, quod Fabios duce Fabio consule ad bellum profectos esse narravit (Cf. Momms. l. l.). Apud Dion. Hal. IX, 15 eorum dux M. Fabius est, qui proximo anno consul fuit; attamen Kaeso Fabius consul cum exercitu eos sequitur et in castris ponendis adiuvat sed posteaquam magistratu abiit se ceteris Fabiis iunxit. Errat Pseudo-Victor, ubi narrat Fabios plures victorias reportasse antequam castra posuerint. Apud ceteros scriptores quae facta sunt, plane diverso ordine narrantur. Diem Cremerensem inter nefastos relatum esse Livius libro II non memoravit [1]) (Cf. VI, 1, 11). Portam sceleratam nomine non appellat Livius; auctorem eius illam portam ita vocasse veri simile faciunt verba: »infelici via dextro Iano portae Carmentalis profecti ad Cremeram perveniunt" (II, 49, 8).

Quia duobus locis Pseudo-Victor propius ad Livii auctorem quam ad Livium ipsum accedere videtur, meo iudicio praestat cum Rosenhauero l. l. p. 37 putare hoc capite Pseudo-Victorem ex eodem quo Livium auctore pendere. [2])

---

1) Mera coniectura nititur Hildesheimerus, ubi coniecit ea, quae Pseudo-Victor de die Cremerensi tradit, e fonte capit. 23, 7, ubi de die Alliensi agit, desumpta esse.

2) Nihil obstat quominus communem errorem Livii et Pseudo-Victoris, de quo Momms. l.l. egit, ad Livii auctorem referamus.

Caput XV. Nemo scriptor nisi Pseudo-Victor tres triumphos a Publicola actos memoravit. Triumphi de Veientibus et de Sabinis satis noti sunt. (Cf. Liv. II, 7, 3. 16, 6, Plut. Publ. 9. 23, Dion. Hal. V, 17. 43. 48). Paulo post secundum triumphum Publicola mortuus est (Cf. Plut. Publ. 23); itaque non veri simile est eum tertium triumphasse. Attamen Fasti Capit. C. I. L. I. p. 454, qui itidem de duobus tantum triumphis mentionem fecerunt, de triumpho de Sabinis solis acto tacent, sed Publicolam de Sabinis et Veientibus iterum triumphasse referunt (tertius triumphus apud Pseudo-Vict.).

Errat Pseudo-Victor, ubi Valerium post Tricipitini mortem collegam non surrogasse tradit; nam satis superque constat id factum esse Bruto mortuo. Alii scriptores Valerium aedes in Velia aedificasse (Liv. II, 7, 6, Dion. V, 19, Cic. de Rep. II, 31, 53) alii eum ibi domum habuisse (Pseudo-Vict., Plut. Publ. 10, Val. Max. IV, 1, 1, Serv. ad Aen IV, 410, Zon. VII, 13, p. 336. C) tradunt.

Cum Livio II, 7, 8, seq. et Dion. Hal. V, 19 Pseudo-Victor Valerium apud populum querentem facit quod suspicarentur se regnum affectare; contra apud Plut. Publ. 10 *οὐκ ἐφιλονείκησεν οὐδ' ἠγανάκτησεν, ἀλλὰ ταχὺ πολλοὺς συναγαγὼν τεχνίτας ἔτι νυκτὸς οὔσης κατέβαλε τὴν οἰκίαν καὶ κατέσκαψεν εἰς ἔδαφος.*

Valerium secures de fascibus dempsisse praeter Pseudo-Victorem Plut. Publ. 10, Val. Max. IV, 1, 1, Dion. Hal. V, 19, Dio Cass. fr. 13, 2, Zon. VII, 13. p. 336. C. memorant. Soli Livius et Florus de fascibus summissis agunt, de securibus demptis tacent. E Livio II, 8, 8 apparet eum scivisse a Publicola consule secures de fascibus demptas esse. Unus Cic. de Rep. II, 31, 55 secures post legem de provocatione perlatam demptas esse tradit; contra alii id ante legem factum esse memorant. Rosenhauerus l.l. p. 46 coniecit Pseudo-Victorem hanc rem ita narrasse ut Antiatem apud Plutarchum. At vulgatiorem narrationem Pseudo-Victor secutus esse videtur; omnes enim scriptores, qui hac de re egerunt, praeter unum Ciceronem, ut Pseudo-Victor rem exposuerunt.

Apud omnes scriptores Valerius publice elatus est, sed funus publice datum esse alii propter inopiam (Liv. II, 17, 7, Val. Max. IV, 4, 1, Eutr. I, 11, Amm. Marc. XIV, 6, 4, Apul.

Or. de Mag. p. 23. ed. Bip.), unus Plutarchus honoris causa tradit (Publ. 23. Quaest. Rom. 79). Utrum Pseudo-Victor hic cum Plutarcho an cum aliis scriptoribus congruat diiudicari non potest, quippe qui haec tantum rettulerit: »cum diem obiisset, publice sepultus et annuo matronarum luctu honoratus est". [1])

Caput XVI. In proelio Regillensi enarrando Pseudo-Victor a Livio discrepat et cum uno Floro congruit. Apud Livium II, 19, 9 et Dion. Hal. VI, 11 magister equitum T. Aebutius proelii initio vulnere accepto pugna excessit; contra apud Florum I, 5 et Pseudo-Victorem ipse magister equitum, cum diu vario Marte pugnatum esset, perfecit ut victoria reportaretur. Apud omnes scriptores victoria equitum opera parta est; apud Livium equites iussu dictatoris descendunt ex equis et pedibus rem gerunt; apud Dion. Hal. VI, 12 dictator Postumius magno impetu cum equitibus in hostium aciem incurrit eosque fudit, ipse *πρῶτος εἰσελαύνει ἀφειμένων τῶν χαλινῶν*; apud Florum et Pseudo-Victorem »magister equitum equis frenos detrahi iussit, ut irrevocabili impetu ferrentur." His scriptoribus inter se comparatis puto ea, quae Dionysius, Florus, Pseudo-Victor tradiderunt e communi fonte fluxisse. Veri simile est Pseudo-Victoris auctorem (e quo Florus hoc loco pendere videtur), oblitum proelii initio magistrum equitum vulneratum esse, rettulisse a magistro equitum non a dictatore hostes profligatos esse, quod non a peditibus sed ab equitibus depugnatum sit. Et quod similiter a Cosso, magistro equitum, sub dictatore Mamerco Aemilio res gesta est (Cf. Frontin. Strat. II, 8, 10) Florus aut fortasse eius auctor — nam apud Pseudo-Victorem magistri equitum nomen desideratur — ambobus proeliis inter se confusis ad lacum

---

1) Fortasse recte iudicavit Rosenhauerus, qui de hoc loco ita disputat (l.l. p. 46): „Noster nihil de paupertate, quam praetermissurum eum non fuisse, si in fonte hanc publicae sepulturae causam invenisset, eo magis veri simile est, quod Menenium Agrippam (18, 7) propter paupertatem publice sepultum esse diserte scribit. Consentit cum eo solus Plutarchus, Antiatis expilator, qui neque causae paupertatis mentionem facit (Plut. Publ. 23) et vel divitem eum fuisse tradit (Plut. Comp. Sol. et Publ. 1). Cf. Schwegl. Hist. Rom. II. p. 60. adn. 5." Admonendum est in reliquo capite esse, quae a Plutarchi narratione discrepent.

Regillum Cossum pugnantem fecisse videtur. Cetera, quae Pseudo-Victor hoc capite narrat, congruunt cum iis, quae alii scriptores hac de pugna commemorant.

Caput XVII. Multa, quae Pseudo-Victor hoc capite tradit, discrepant ab iis, quae apud omnes alios scriptores leguntur. Errat Pseudo-Victor, ubi refert Cincinnatum filium abdicasse; nulla enim erat apud Romanos abdicatio; contra semper et ubique Cincinnatus filio adfuit omnemque operam adhibuit, qua plebem permoveret ut sibi filium condonarent; quo damnato se infestissimum praebuit iis, qui perfecerunt, ut filius expelleretur (Cf. Liv. III, 12. 13. 19. 29, Dion. X, 5. 8. 17). Neque minus gravem errorem commisit Pseudo-Victor, cum Kaesonem a censoribus notatum esse tradit. Nondum enim hoc tempore (a. 292) censura instituta fuit (a. 310). Neque Kaeso ad Volscos et Sabinos confugit; et Livius III, 13, 8 et Dion. Hal, X, 8 eum in Tuscos in exilium abiisse narrant. Neque hoc tempore Volsci et Sabini duce Cloelio Graccho adversus Romanos bellum gerebant; immo Aequi sub Cloelio Graccho Q. Minucium in monte Algido obsidebant (Cf. Liv. III, 25. 26, Dion. Hal. X, 12, seq., Dio Cass. fr. 23, 1. 2, Fasti Capit. C. I. L. I. p. 454). Sabini autem ab iis seiuncti suo Marte rem gerebant et a consule Nautio profligati sunt (Liv. III, 26—29, 7). In iis, quae Pseudo-Victor de priore Cincinnati dictatura refert, cum ceteris scriptoribus congruit. Sed hoc quoque loco errorem commisit, cum coronam auream, quae Cincinnato a Minucio datur, obsidionalem facit [1]) (Cf. Liv. III, 29, 3, qui de corona aurea, libram pondo, agit). Constat enim coronas obsidionales gramineas fuisse (Cf. Gell. V, 6, Plin. Nat. Hist. XXII, 3. 4). Cincinnatum post dictaturam ad agros colendos revertisse praetér Pseudo-Victorem Flor. I, 5, 14 et Colum. de re rust. praef. 9, 13 narrant. In altera Cincinnati dictatura describenda Livius, Dionysius, Pseudo-Victor fontes, qui arte inter se cohaerent, adhibuisse videntur [2]). Zon. VII, 20. p. 351. A memorat non constare utrum Servilius Maelium occiderit *αὐτογνωμονήσας ἢ τοῦτο κεκε-*

1) Eundem errorem commisit Pseudo-Victor (26, 3) 58, 4.

2) Cf. Momms. Herm. V. p. 262 = Quaest. Rom. II. p. 206.

λευσμένος πρὸς τοῦ δικτάτορος. Cic. Cat. M. 16, 56, Pseudo-Victor, Flor. I, 17, 7, Amp. 27, 2 Sp. Maelium iussu dictatoris interfectum esse tradunt. Contra apud Liv. IV, 15 et Dion. Hal. Exc. Escor. p. XXXV. Exc. Ambr. XII, 1 Maelius a Servilio occisus est, quod a magistro equitum vocatus ad dictatorem non venisset et vim parasset ne iudicio se committeret.

Caput XVIII. Praeter Pseudo-Victorem soli Dion. Hal. V, 44 et Fasti Capit. C. I. L. I. p. 454 Agrippae agnomen Lanatum indunt et eum de Sabinis triumphasse tradunt (Cf. Dion. Hal. V, 47. VI, 96). Zon. VII, 13. p. 337. D de bello cum Sabinis a Menenio gesto agit, contra Liv. II, 16 refert Agrippa Menenio P. Postumio consulibus cum Auruncis bellum gestum et de iis triumphatum esse. In secessione plebis tradenda Pseudo-Victor cum vulgata narratione congruit. Apud omnes scriptores Agrippa propter paupertatem a plebe collatis sextantibus effertur; contra Pseudo-Victor narrat plebem quadrantes contulisse. At de stipe, quam populus in funere publico conferre solebat, saepius inter se discrepant scriptores; velut in Publicolae funere apud Plut. Publ. 23 quadrantes, apud Apul. Or. de Mag. p. 23. ed. Bip. sextantes coguntur. In P. Valerii, qui in pugna cum Herdonio interfectus est, »domum plebes quadrantes, ut funere ampliore efferretur, iactasse fertur" (Liv. III, 18, 11). A senatu locum sepulcro publice datum esse nemo scriptor nisi Pseudo-Victor refert. At Dion. Hal. VI, 96 narrat senatum, cum audivisset plebem stipem conferre ad Agrippae funus, quaestores iussisse, ut quam magnificentissime ἐκ τῶν δημοσίων eum efferrent.

Caput XIX. De Coriolani praenomine discrepant inter se codices, alii Caium, alii Cneium exhibent. Eandem discrepantiam apud scriptores, qui de Coriolano egerunt, invenimus [1]). Post Coriolos captos Coriolanum »optionem munerum accipientem equum tantum et hospitem sumpsisse" tradit Pseudo-Victor. De his muneribus plane tacet Livius; ceteri scriptores, Dion. Hal. VI, 94. VIII, 30, Plut. Cor. 30, Dio Cass. fr. 18, 1, Val. Max.

---

1) Cf. Schwegl. Hist. Rom. II. p. 349. adn. 3.

IV, 3, 4 hac de re paucis inter se discrepant, quae tamen discrepantia non eiusmodi est, ut plane diversi fontes adhibiti esse putandi sint.

Unus Pseudo-Victor Coriolanum consulem facit [1]); apud Dion. Hal. VII, 21, App. de rebus ital. fr. 2, Plut. Cor. 15 consulatum petens repulsam fert. Apud omnes scriptores Coriolanus M. Minucio A. Sempronio consulibus se plebi infestissimum praebuit. Cum Coriolani consulatu arte cohaerere videtur id, quod unus Pseudo-Victor rettulit, Coriolanum »frumentum magno pretio dandum populo curasse." Apud omnes alios scriptores Coriolanus in senatu sententiam rogatus censuit annonam non laxandam esse, sed ex eius sententia annonam non levatam esse nemo scriptor nisi Pseudo-Victor refert. Pseudo-Victor Coriolanum hoc modo in plebem egisse tradit »ut hac iniuria plebs agros, non seditiones coleret". Hic arte cohaeret cum Livio II, 34, 11, ubi Coriolanus ita disputat: »audeo dicere hoc malo domitos potius cultores agrorum fore, quam ut armati per secessionem coli prohibeant" (Cf. Flor. I, 17, 3: »ut Coriolanum colere agros iubentem"). Apud Livium II, 35, 2 tribuni plebis, apud Plut. Cor. 18 tribunus plebis C. Sicinius, apud Dion. Hal. VII, 58 [2]) et Pseudo-Victorem collega eius Decius Coriolano diem dixit. Apud Dion. Hal. VII, 64. 67 et Plut Cor. 20—24 Coriolanus die dicta adest et pro se verba facit; apud Livium II, 35, 6 »ipse (Coriolanus) cum die dicta non adesset, perseveratum in ira est; damnatus absens in Volscos exulatum abiit." Neque apud Pseudo-Victorem Coriolanus adesse videtur, qui his verbis rem describit: »A tribuno Decio die dicta ad Volscos

---

1) Momms. Herm. IV. p. 19 = Quaest. Rom. II. p. 140 de hoc consulatu ita disputat: „Wenn ferner bei der Getreidevertheilung Coriolan bei den sogenannten Victor als Consul auftritt während Dionysios ihn sich vergeblich um das Consulat bewerben lässt, und er sowohl wie Livius ihn nicht wegen Ambtshandlungen, sondern allein oder wenigstens zunächst wegen seiner Abstimmung im Senat zur Verantwortung ziehen lassen, so ist allem Anschein nach die erstere Fassung die ursprüngliche und die zweite nur daraus hervorgegangen, dass die Magistratstafel von dem Consul Cn. Marcius Coriolanus so wenig etwas wusste wie das Triumphalverzeichniss von der Eroberung Coriolis und darum eine Ausgleichung erforderlich war, wie sie deutlich genug bei Dionysios vorliegt."

2) Cf. Momms. l.l. p. 12—p. 130. adn. 39.

concessit" [1]). Errorem commisit Pseudo-Victor, ubi Volscorum ducem Titum Tatium vocat [2]); apud ceteros scriptores Attus Tullius appellatur. Livius II, 39, 5 Coriolanum castra quinque ab urbe milia passuum posuisse refert, apud Pseudo-Victorem castra ad quartum ab urbe lapidem posita sunt. Notum est templum Fortunae muliebris eodem loco constitutum esse, quo Coriolanus a matre et uxore exoratus esset (Cf. Dion. Hal. VIII, 55, Val. Max. V, 2, 1, Pseudo-Vict.); deinde hanc aedem ad quartum miliarium aedificatam esse tradunt Val. Max. I, 8, 4 et Fest. v. Pudicitiae. Veri simile igitur est Pseudo-Victorem castra ad quartum ab urbe lapidem posita idcirco rettulisse quod eodem loco Fortunae muliebris templum esset [3]). De Coriolani morte maxime inter se discrepant scriptores: »alii eum alio leto periisse tradunt" (Liv. II, 40, 10) [4]). Apud Pseudo-Victorem »ut proditor occisus est." Eandem narrationem exhibere videntur Dio Cass. fr. 18, 12, Polyaen. VIII, 25, 3, Amp. 27, 1.

Caput XX. Eadem, quae Pseudo-Victor hoc capite narrat a Livio VI, 34, 5, seq., Dion. Cass. fr. 29 [5]), Zon VII, 24. p.

1) Cf. Schwegl. Hist. Rom. II. p. 352. adn. 3.
2) Cf. Momms. l.l. p. 7—p. 122. adn. 18.
3) Cf. Schwegl. l.l. p. 382. adn. 6.
4) Cf. Schwegl. l.l. p. 361. adn. 2.

5) Prima huius fragmenti verba perverso ordine scripta sunt: ὅτι ἡ Ῥούφου γυνὴ χιλιαρχοῦντος... ἐξεταράχθη. Legendum ὅτι ἡ γυνὴ Ῥούφου χιλιαρχοῦντος... ἐξεταράχθη. Nam non Sulpicii Rufi tribuni militaris, sed Licinii Stolonis tribuni plebis uxor animo perturbata est. Dionem ipsum hic errore lapsum non esse testis est Zonaras, qui iisdem fere verbis, quae apud Dionem legisset, rem rettulerit.

Dio Cassius.

ὅτι ἡ Ῥούφου γυνη χιλιαρχοῦντος καὶ πράττοντος ἐν τῇ ἀγορᾷ δημόσιον, ἐπειδὴ ἐκεῖνος ἀφίκετο καὶ τὴν θύραν ὁ ῥαβδοῦχος κατά τι ἔθος ἀρχαῖον ἔκρουσεν

Zonaras.

Μάρκος γάρ τις Φάβιος εὐπατρίδης, θυγατέρων δυοῖν τυγχάνων πατήρ, τὴν μὲν πρεσβυτέραν Λικιννίῳ τινὶ Στόλωνι κατηγγύησε πολὺ αὐτοῦ καταδεεστέρῳ, τὴν δὲ νεωτέραν Σουλπικίῳ Ῥούφῳ ἀνδρὶ ὁμοτίμῳ συνῴκισε. χιλιαρχοῦντος οὖν τοῦ Ῥούφου καὶ ὄντος ἐν ἀγορᾷ, πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ἡ ἀδελφὴ αὐτῆς παραγέγονεν. ἀφικομένου δ' ἐκείνου τὴν θύραν ὁ ῥαβδοῦχος

359. C., Flor. I, 16 traduntur. Cum inter Pseudo-Victorem, Dion. Cass., Zon., Flor. nulla sit discrepantia, pauca tamen sunt, quae apud Livium non congruunt cum iis, quae Pseudo-Victor narravit. Qui apud Livium Servius Sulpicius vocatur, apud Pseudo-Victorem Aulus Sulpicius dicitur; apud Livium uxor patri doloris causam exponit et socer generum permovet ut legem de altero consule ex plebe promulget, apud Pseudo-Victorem uxor »indecenter a sorore irrisa, marito questa est, qui, adiuvante socero... legem tulit, ut alter consul e plebe crearetur". Errat Pseudo-Victor, ubi Licinium Stolonem primum ex plebe consulem facit; constat enim L. Sextium primum ex plebe consulem esse creatum, Licinium autem Stolonem duobus annis post eodem honore ornatum esse. Quae Pseudo-Victor de Stolonis lege agraria narrat, congruunt cum iis, quae apud ceteros scriptores hac de re legimus.

Caput XXI. Hoc capite Pseudo-Victor aut neglegentissime res exposuit aut e fontibus pessimae notae hausit. Cum scriptoribus posterioris aetatis legem XII tabularum legum Solonis in latinum sermonem translatarum exemplum facit. [1]) In Verginiae casu tradendo Pseudo-Victor cum ceteris scriptoribus congruit, sed apud Liv. III, 47 et Dion. Hal. IX, 33 pater virginis iam initio causae adest, apud Pseudo-Victorem Verginius filia iam addicta supervenit. Unus Pseudo-Victor refert Verginium filiae corpus humero gerentem ad exercitum fugisse; contra apud Liv. III, 48, 7. 57, 4 et Dion. Hal. XI, 37. 39. 40 Verginiae corpus in urbe relinquitur [2]). Apud Liv. III, 51 decem tribuni creantur post Aventinum occupatum; apud Pseudo-Victorem »milites creatis decem tribunis Aventinum occuparunt". Apud Dion. Hal. XI, 46 Appius Claudius in carcerem coniectus moritur,

---

ἐξεταράχθη πρὸς τοῦτο οὔπω πρότερον τοιούτου τινὸς πεπειραμένη καὶ διεπτοήθη. γέλωτος οὖν ἐπ' αὐτῇ συχνοῦ καὶ παρὰ τῆς ἀδελφῆς καὶ τῶν ἄλλων γενομένου, καὶ σκωφθεῖσα ὡς ἰδιῶτις τῶν ἀρχικῶν πραγμάτων κ. τ. λ.

κατά τι ἔθος ἀρχαῖον ἔκρουσεν διεπτοήθη δὲ πρὸς τὸν πάταγον ἡ γυνὴ οὔπω τούτου πεπειραμένη· καὶ γέλως ἐπὶ τούτῳ καὶ παρὰ τῆς ἀδελφῆς καὶ τῶν παρόντων ἐγένετο καὶ ὡς ἰδιῶτις ἐσκώφθη.

1) Cf. Schwegl. Hist. Rom. III. p. 10 et adn. 1.

2) Cf. Becker. Ant. Rom. I. p. 56. adn. 93.

ὡς μὲν ἡ τῶν πολλῶν ὑπόληψις ἦν ἐξ ἐπιταγῆς τῶν δημάρχων, ὡς δ'οἱ τὴν αἰτίαν ἀπολύσασθαι βουλόμενοι διεφήμιζον, αὐτὸς ἑαυτὸν ἀναρτησάμενος βρόχῳ. Apud Liv. III, 58, 6 Appius ipse manus sibi intulit; apud Pseudo-Victorem in carcere necatus est.

Caput XXII. De Aesculapio Romam advecto praeter Pseudo-Victorem Ovid. Metamorph. XV, 626—745 et Val. Max. I, 8, 2 copiosius egerunt. Artissime Pseudo-Victor cum Valerio Maximo cohaeret; uterque enim ex eodem auctore pendere videtur. Pseudo-Victor Valerium ipsum non secutus est; nam apud illum quaedam leguntur, quae apud hunc desiderantur. Val. Max. legatorum numerum non tradit neque Q. Ogulnium iis praefuisse memorat. Quae Ovidius scripsit, ex alio fonte manasse videntur. Apud Val. Max. libri Sibyllini adeuntur (Cf. Liv. X, 47, 6), apud Ovid. Delphicum oraculum consulitur. Pseudo-Victor narrat legatos Epidaurum responso monente missos esse. Quae vox etiam 46, 1 de libris Sibyllinis usurpatur. Apud Val. Max. »legati prosperam emensi navigationem Antium appulerunt," apud Ovidium »asper ... pontus erat", cum Antium »veliferam nautae advertere carinam." Foede corruptus est Pseudo-Victor, ubi de Antiatino casu agit. Legimus haec: »Legati deum vehentes Antium ubi per mollitiam (Exhibent praeterea codices moliciam, molliciem, molestiam et in margine »malatiam sive molliciem." Unus codex »sevicinam" praebet.) maris anguis proximum Aesculapii fanum petiit". A. Schottus coniecit malaciam, quae tamen lectio reicienda mihi videtur. Apud Ovid. »asper — — pontus erat"; apud Val. Max. »prosperam emensi navigationem Antium appellunt"; restat, ut quis de malacia egerit. Sed vix est credibile talem discrepantiam inter scriptores exstitisse. Fortasse alio modo vulnus sanari potest. Notum est Antium, in rupe conditum, inclaruisse operibus in mare exstructis. Puto legendum: »ubi per moles maris anguis" cet. Valerius Maximus et Pseudo-Victor anguem Antii in vestibulum aedis Aesculapii prolapsum esse referunt, Ovidius eum Apollinis templum iniisse tradit.

Utrum Livius [1]) an auctor eius a Valerio Maximo et Pseudo-Vic-

1) Cf. Haupt. l.l. p. 12. Hildesh. l.l. p. 22. Rosenh. l.l. p. 39.

tore adhibitus sit, incertum est; quae tamen in Epitome libri XI apud Livium hac de re narrantur, non discrepant ab iis, quae apud Valerium Maximum et Pseudo-Victorem legimus (»Cum pestilentia civitas laboraret, missi legati, ut Aesculapii signum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui se in navem eorum contulerat, ipsum, in quo numen esse constabat, deportaverunt eoque in insulam Tiberis egresso, eodem loco aedes Aesculapii constituta est.").

Caput XXIII. Hoc capite saepius Pseudo-Victor errore lapsus est vel neglegentissime quae facta sunt exposuit. Quamquam Falisci post Veiorum expugnationem obsessi sunt, de Faliscorum oppugnatione prius agit quam de bello cum Veientibus gesto mentionem fecit. Fortasse Pseudo-Victor temporis ordinem neglexit, ut Camilli vitam incoharet re memorabili, qua optime Camilli mores cognoscerentur. Nam saepius in ipsis capitum initiis de moribus eorum, quorum vitae describuntur, agit Pseudo-Victor [1]). Quae de hac obsidione tradit cum iis, quae ceteri scriptores hac de re rettulerunt, congruunt. Veios hieme captos esse unus Pseudo-Victor tradit. Attamen hic errore lapsus esse videtur, quem veri simile est inde ortum esse, quod apud auctorem legisset hoc bello primum hiematum esse (Cf. Liv. V, 2, 1. 22, 8, Plut. Cam. 2, Flor. I, 12, 8).

Cum ceteri scriptores de uno tantum crimine, quo tribuni Camillum arcessiverint, agant, unus Pseudo-Victor duo crimina affert (»Postmodo est crimini datum, quod albis equis triumphasset et praedam inique divisisset: die dicta a L. Apuleio tribuno plebis damnatus Ardeam concessit."). At satis perspicuum est Pseudo-Victorem ea quae a populo Camillo obiecta essent, neglegentius non distinxisse ab eo crimine, quod Apuleius die dicta in eum intulerit. Liv. V, 23, 6, Plut. Cam. 7, Zon. V, 21. p. 352. C narrant idcirco populi invidiam Camillo conflatam

---

1) Cf. 5, 1. Ancus Martius... aequitate et religione avo similis. 8, 1. Tarquinius Superbus cognomen moribus meruit. 12, 1. Mucius Cordus vir Romanae constantiae. 44, 1. M. Livius Drusus genere et eloquentia magnus, sed ambitiosus et superbus. 69, 1. L. Cornelius Cinna flagitiosissimus rempublicam summa crudelitate vastavit. (Cf. Enmann. l.l. p. 465.)

esse, quod triumphans curru equis albis iuncto urbem invectus esset. Unus tamen Diod. Sic. XIV, 17 eum hac de re accusatum esse refert. Apud omnes alios scriptores dies Camillo dicta est propter praedam Veientanam (Liv. V, 32, 8)[1]). Cum Servio ad Aen. VI, 826, Flor. I, 22, 4, Eutr. I, 20, Suid. v. Φούριος Pseudo-Victor tradit ei diem dictam esse propter Veientanam praedam »non aequo iure divisam".

Parum accurate de Fabiorum legatione egit Pseudo-Victor; apud eum tres Fabii Clusium mittuntur, unus ex iis in aciem processit et Senonum ducem interfecit, tres legati in deditionem petiti sunt. Tres sunt hac de re narrationes:

I. tres legati pugnant et Galli postulant ut tres dedantur (Liv. V, 36. Dio Cass. fr. 25, 2, Zon. VII, 23, p. 355. C, App. de reb. Gall. fr. 3 numerum legatorum non referunt.).

II. tres legati pugnant, e quibus unus agnoscitur et repetitur (Plut. Cam. 17, Diod. Sic XIV, 113).

III. Unum tantum legatum commemorat Plut. Numa 12.

Pseudo-Victoris error inde ortus esse videtur, quod etiam apud eos, qui tres Fabios in deditionem petitos esse tradunt, unus e Fabiis, qui Senonum ducem interfecit, agnoscitur. Cum omnes scriptores ad Alliam a. d. XV Kal. Sext. pugnatum esse tradiderint, Pseudo-Victor et Plut. Quaest. Rom. 25 a. d. XVI Kal. Sext. cladem Alliensem acceptam esse scripserunt. At rectissime Mommsenus (Herm. XIII. p. 526 = Quaest. Rom. II. p. 315. adn. 37) aut ipsius Pseudo-Victoris aut librarii errore factum esse ostendit, ut hoc loco a ceteris scriptoribus discreparet. Ubi de senum casu agit Pseudo-Victor, arte cohaeret cum Liv. V, 41, 8: »adeo haud secus quam venerabundi intuebantur in aedium vestibulis sedentes viros praeter ornatum habitumque humano augustiorem maiestate etiam quam vultus gravitasque oris prae se ferebat, simillimos dis," et Floro I, 7, 14 »ibi sedentes in curulibus suis praetextatos senes velut deos geniosque venerati mox eosdem postquam esse homines liquebat, adlocuti, nihil respondere dignantes pari vecordia mactant". Liv. V, 39, 9 et Zon. VII, 28. p. 355. D commemorant iuventutem cum coniugibus et liberis

---

1) Cf. Plut. Cam. 12, Dio. Cass. fr. 24, 4, Zon. VII, 22. p. 354. D, Val. Max. V, 3, 2.

in Capitolium concessisse; contra Pseudo-Victor, Flor I, 7, 13, Oros. II, 19 iuventutem commemorant, de coniugibus et liberis tacent. Pseudo-Victor iuventutem cum Manlio in Capitolium fugisse narrat, cap. 24, 3 id auctore Manlio factum esse refert. Idem Florus l.l. tradit: »iuventus duce Manlio arcem Capitolini montis insedit". Apud Liv. V, 47 et Plut. Cam. 28 Q. Sulpicius Rufus Capitolii praesidio praeest. At idcirco Pseudo-Victor et Florus Manlium Capitolii ducem fecisse videntur, quod ex iis, qui in Capitolio obsessi sint, Manlius in primis inclaruerit. Cum Liv. V, 50, seq., Plut. Cam. 31, 32 et Elogio apud Momms. C. I. L. I. p. 285 (Cf. supra p. 7) Pseudo-Victor tradit Camillum prohibuisse quominus populus Veios commigraret.

Caput XXIV. Manlium ob defensum Capitolium Capitolinum dictum esse praeter Pseudo-Victorem Liv. V, 31, 2. VI, 17, 5, Plut. Cam. 36, Zon. VII, 24. p. 358. D narraverunt [1]). Manlium sedecim annos natum prima stipendia meruisse unus Pseudo-Victor memorat, attamen Plinius Nat. Hist. VII, 28, qui eundem auctorem secutus esse videtur, id non ignoravit. Legimus apud hunc: »ante XVII annum bina ceperat spolia, primus omnium eques coronam muralem acceperat, VI civicas, XXXVII dona, XXIII cicatrices adverso pectore exceperat". Ex eodem quo Plinius et Pseudo-Victor auctore Liv. II, 20, 78 pendere videtur, Manlium enim dona imperatorum ad quadraginta protulisse et pectus insigne cicatricibus bello acceptis nudasse tradit (Cf. supra p. 22).

De Manlio, Capitolii defensore, iam proximo capite egimus. Errat Pseudo-Victor, ubi ea, quae Manlius propter Capitolium defensum accepit, enumerat. Nunquam ei Patronus nomen publice datum est; error inde ortus esse videtur, quod Manlius postea civium patroni partes suscepit (Cf. Liv. VI, 18, 14: »Ego me patronum profiteor plebis, quod mihi cura mea et fides nomen induit."). Neque populus ei in Capitolio domum dedit; quo tempore enim Capitolium a Gallis oppugnabatur, iam in Capitolio habitabat (Cf. Liv. V, 47, 8, ubi selibrae farris

1) Cf. Momms. Herm. V. p. 247 = Quaest. Rom. II. p. 184, Schwegl. Hist. Rom. III. p. 258. adn. 3.

et quartarii vini ad aedes eius, quae in arce erant, collata sunt.)[1]. Liv. V, 47, 8, Plut. Cam. 27, Dion. Hal. Exc. Ambr. XIII, 11 Manlium farre et vino donatum esse referunt, Serv. ad Aen. VIII, 652 et Pseudo-Victor far tantum commemorant. In iis, quae Pseudo-Victor de Manliana seditione tradidit, arte cohaeret cum iis, quae Livius hac de re scripsit. Soli Livius VI, 14, 11. 15, 5 et Pseudo-Victor referunt Manlium senatum incusasse quod thesauros Gallici auri occultaret. Liv. VI, 17, 6 et Plut. Cam. 36 senatum, metuentem ne populus carcerem refringeret, Manlium vinculis liberasse tradunt; idem Pseudo-Victor dicere videtur, ubi Manlium »populi consensu" liberatum esse memorat. De Manlii damnatione et supplicio plane cum Livio congruit[2]. Manlii aedes eversas esse praeter Pseudo-Victorem Cic. de dom. 38, 101, Plut. Cam. 36, Dio Cass. fr. 26, 1 tradiderunt; Livii auctorem idem rettulisse inde sequitur, quod Livius narrat post Manlii mortem ad populum latum esse ne quis patricius in arce aut in Capitolio habitaret (VI, 20, 13). Soli Dio Cass. l. l. et Pseudo-Victor Manlii bona publicata esse tradiderunt. Errorem denique commisit Pseudo-Victor, ubi ea, quae ad Manlii praenomen pertinent, de eius cognomine rettulit[3]. Cf. Liv. VI, 20, 14, Cic. Phil. I, 13, 32, Quint. III, 7, 20, Plut. Quaest. Rom. 91, Dio Cass. l.l., Fest. s. v. Manliae.

Caput XXV. Iam Livii aetate magna erat controversia de Cossi spoliis opimis. Nam cum omnes ante Livium auctores A. Cornelium Cossum tribunum militum spolia opima consecrantem fecerint, in titulo spoliis affixo Cossus consul dictus esse videtur (Cf. Liv. IV, 20, 6) idque congruit cum spoliorum opimorum ratione; »ea enim rite opima spolia habentur, quae dux duci detraxit." Livius et omnes ante eum auctores anno 316 legatos populi Romani a Fidenatibus interfectos esse, anno 317, cum Mamercus Aemilius dictator, L. Quinctius Cincinnatus magister equitum esset, Cossum spolia consecrasse tradunt.

1) Cf. Schwegl. l.l.
2) Cf. de Manlii supplicio supra p. 21.
3) Cf. Momms. l.l. p. 246—p. 182. adn. 61.

Deinde Livius ostendit fieri non posse, ut hoc facinus in eum annum transferatur, quo Cossus consul fuerit; imbelle enim triennium ferme pestilentia inopiaque frugum circa A. Cornelium consulem fuisse. Denique Livius haec scripsit: »tertius ab consulatu Cossi annus tribunum eum militum consulari potestate habet, eodem anno magistrum equitum (Mamerco Aemilio dictatore in bello contra Fidenates): quo in imperio alteram insignem edidit pugnam equestrem. Ea libera coniectura est." Quae coniectura facta est apud Val. Max. III, 2, 4, Flor. I, 6, 9 [1]), Pseudo-Victorem; hi enim Cossum magistrum equitum spolia consecrasse tradunt. Itaque apud eorum auctorem legati non anno 316 sed 328 interfecti sunt. Eodem modo Diod. Sic. XII, 80, fontem optimae notae secutus, rem exposuit [2]). Errat Pseudo-Victor, ubi Quinctium Cincinnatum dictatorem facit. Omnes enim scriptores hoc anno Mamercum Aemilium dictatorem fuisse tradunt (Cf. Liv. IV, 31, 5).

Caput XXVI. Etsi hoc capite Pseudo-Victor plane cum Livio congruit, pauca tamen apud eum inveniuntur, quae apud Livium desiderantur. Uterque igitur ex eodem fonte hausisse videtur.

---

1) Apud Florum l.l. verba „spolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium triumpho reportata" transponenda et legenda sunt ante verba: „Vei quanta res fuerit cet." Quo loco haec narratio de Cosso legitur, ad Veiorum obsidionem spolia illa pertineant necesse est. Si ea verba transponuntur, omnia optime cedunt. Spolia opima cum Fidenarum eversione coniunguntur et Florus alter testis prodit ad Niebuhrii et Mommseni de legatorum caede coniecturas probandas. Nam ex iis, quae Florus de Fidenatibus, facibus armatis, tradidit manifestum est eum non de Fidenarum obsidione a. 317 sed de huius urbis eversione a. 328 egisse (Cf. Liv. V, 33, 1). Ceterum etiam quae praecedunt et quae sequuntur satis ostendunt verba: „spolia.. reportata" non suo loco scripta esse. In iis, quae praecedunt, Florus exposuit quam difficilis Veiorum oppugnatio esset. Sequuntur verba de quibus egi. Scilicet speramus fore ut Larte Tolumnio interfecto spoliisque opimis reportatis urbs mox capiatur; immo „denique non scalis et eruptione, sed cuniculo et subterraneis dolis peractum urbis excidium." Haec non bene quadrare quis est quin mihi concedat? Quae optime cum iis, quae praecedunt, convenirent, si ea sequerentur, quae de difficili Veiorum oppugnatione rettulit Florus.

2) Cf. Niebuhr. Hist. Rom. II. p. 515. adn. 1006, Momms. Herm. XIII. p. 306 = Quaest. Rom. II. p. 237.

Primum Pseudo-Victor de consule Valerio Maximo[1]) agit, quem Livius aliique Corvum vel Corvinum dicunt. At illi Valerio Maximum cognomen inditum fuisse praeter Pseudo-Victorem Gell. IX, 11, 1 (De Maximo Valerio, qui Corvinus appellatus est) et Zon. VII, 25. p. 361. D (Οὐαλέριος Μάρκος ὁ τοῦ Μαξίμου ἐκείνου ἔγγονος) memoraverunt. Nemo scriptor nisi Pseudo-Victor nomen montis, ubi Cornelius Cossus interclusus est, tradit; prima huius belli pugna ad Gaurum montem a Valerio consule commissa est; aut igitur in eiusdem montis angustiis, ad quem primum pugnatum est, Cossi exercitus paene interiit[2]), aut Pseudo-Victor errore lapsus Decium facinus eodem loco perpetrantem facit, ubi paulo ante a Valerio certatum est. Nonnullos viros doctos offendit verbum terruit, quod neque Decius hostes aggressus sit neque iis propter parvas copias terrorem incutere potuerit. At rectissime Grunerus vulgatam lectionem retinendam esse ostendit, qui hunc locum comparavit cum Livio VII, 34, 8: »Inde admiratione paventibus cunctis (hostibus) cum omnium in se vertisset oculos. et spatium consuli dedit ad subducendum agmen in aequiorem locum, et ipse in summo constitit vertice". Decium civica corona donatum esse soli Pseudo-Victor et Plin. Nat. Hist. XVI, 11[3]) narrant; at hic errorem committunt; constat enim coronam civicam »singularis signum salutis" esse; contra corona obsidionalis »diversos cives servatos" testificatur (Cf. Plin. Nat. Hist. XXII, 8 et Fest. s. v. obsidionalis). Livius VII, 37, Plin. l.l., Fest. l.l. tradunt Decio duas coronas obsidionales, alteram ab universo exercitu alteram a militibus, quibus praeesset, datas esse, praeterea aurea corona eum a consule donatum esse Livius memorat. Sed iam vidimus Pseudo-Victorem, ubi de coronis agat, errore lapsum esse[4]). Si verba »de quercu, quae dabatur ei, qui cives in bello servasset;

---

1) Nonnulli codices „sub Valerio Corvino" exhibent. Non opus est cum Schroetero putare Pseudo-Victorem, Valerium Corvinum cum Valerio Maximo quodam, de quo egit Cic. Brut. 14, 4, confudisse.

2) Cf. Niebuhr. Hist. Rom. III. p. 139.

3) Plinius ipse XXII, 8 argumenta attulit, quibus quae hic refert redarguuntur.

4) Cf. supra p. 73. adn. 1.

obsidionali, scilicet aurea, quae dabatur ei, qui obsidione cives liberasset" non cum A. Schotto e textu eicienda sunt, Pseudo-Victor eundem errorem quem 17, 2 et 58, 4, commisit, qui coronam obsidionalem non gramineam sed auream fecerit.

Ubi de proelio ad Veserim commisso agit Pseudo-Victor, plane congruit cum Livio VIII, 6, seq. et aliis scriptoribus. Cum Livio VIII, 9, 4 solo pontificis nomen tradidit Pseudo-Victor. Denique ex uno Pseudo-Victore cognovimus Veserim flumen esse. [1])

Caput XXVII. Fere ad verbum initium huius capitis congruit cum hac inscriptione (Orell. n. 546):

Inscriptio.	Pseudo-Victor.
P. Decius, Deci f., primum cos. de Samnitibus triumphans spolia ex eis Cereri consecravit. Iterum et tertium consul cet.	Publius Decius, Decii filius, primo consul de Samnitibus triumphavit; spolia de his Cereri consecravit. Iterum et tertio consul cet.

At Mommsenus C. I. L. I. p. 281 rectissime ostendit hunc titulum e Pseudo-Victoris libro descriptum esse. Contra Livius IX, 29, 3 P. Decium hoc anno bello non interfuisse refert: »Itaque altero consule (M. Valerio) in Samnio reliquias belli persequente [2]) P. Decius, qui *graviter aeger Romae restiterat*, auctore senatu dictatorem C. Iunium Bubulcum dixit". [3]) In Decii morte tradenda cum Livio X, 28, 12, seq. plane congruit Pseudo-Victor · attamen Livius de devotionis caeremoniis egit, ubi Decii patris mortem tradit (VIII, 9, 5). Praeter Pseudo-Victorem Livius X, 29, 20 Decii, »corpus a collega laudatum magnifice sepultum esse" refert. Zon. VIII, 1. p. 366. C. D. Decii corpus a collega combustum esse narrat.

Caput XXVIII. Hoc capite Pseudo-Victor arte cohaeret cum

---

1) Cf. Nieb. Hist. Rom. III. p. 154. adn. 244.

2) Fasti Capit. C. I. L. I. p. 456 Valerium hoc anno de Samnitibus Soraneisque triumphasse tradunt.

3) Errore lapsus Livius C. Iunium Bubulcum dictatorem fecit; nam C. Sulpicius Longus hoc anno dictator, C. Iunius Bubulcus magister equitum fuit.

Livio, qui in Manlii Torquati proelio singulari enarrando indicavit se plures auctores cognosse (VI, 112). Omnes scriptores (Liv. VII, 4, 5, Cic. de off. III, 31, 42, Val. Max. V, 4, 3. VI, 8, 1, App. Samn. fr. 2) eodem fere modo pietatis exemplum commemoraverunt, quod Manlius in patre a tribunicia accusatione liberando edidit. Sed cum Cicero et Val. Max. V, 4, 3, Pomponium cum Manlio colloquentem sua sponte omnes arbitros removisse tradiderint, Livius, Appianus, Pseudo-Victor Manlium a Pomponio secretum colloquium petivisse narraverunt.

In anno tradendo, quo Manlius Gallum occidit, maxime inter se discrepant scriptores. Teste Livio VI, 42, 5 Claudius Quadrigarius Manlium facinus dictatore M. Furio Camillo anno 387 perpetrasse rettulit. Cum Claudio Quadrigario faciunt Florus I, 8, 20 et Zon. VII, 24. Livius ipse VII, 9, 6, anno 394 dictatore T. Quinctio Penno [1]) Gallum a Manlio interfectum esse memorat. Cum Livio congruunt Fasti Capit. C. I. L. I. p. 455 et Eutr. II, 5. Denique Pseudo-Victor Manlium C. Sulpicio dictatore anno 397 [2]) Gallum occidisse tradit. Eandem narrationem Livius VI, 42, 5. 6 novisse videtur, ubi haec scripsit: »bellatum cum Gallis eo anno (387) circa Anienem flumen auctor est Claudius inclitamque in ponte pugnam, qua T. Manlius Gallum, cum quo provocatus manus conseruit, in conspectu duorum exercituum caesum torque spoliavit, tum pugnatam. Pluribus auctoribus magis adducor ut credam decem aut minus [3]) post annos ea acta."

Quae Pseudo-Victor de Manlii filii supplicio et de pugna ad Veserim narravit congruunt cum iis, quae apud ceteros scriptores legimus.

Denique Pseudo-Victor in iis, quae de consulatu recusato rettulit, errorem commisit. Haec non pertinent ad hunc Manlium sed ad alium T. Manlium Torquatum, qui anno 543 consulatum in se delatum recusavit (Cf. Liv. XXVI, 22, 9, Val. Max. VI, 4, 1). Fere iisdem quibus Pseudo-Victor verbis Li-

1) Orosius III, 6. anno 388 dictatore T. Quinctio id factum esse narrat.

2) Cf. Liv. VII, 12, 9.

3) Pauly Realenc. IV. p. 1492. coniecit „decem aut minus"; codices exhibent „decem haud minus".

vius et Valerius Maximus hac de re egerunt. Pseudo-Victor: »consulatum recusavit, quod diceret neque se populi vitia, neque illum severitatem suam posse sufferre". Livius: »Neque ego vestros, inquit, mores consul ferre potero neque vos imperium meum". Val. Max: »Nam, si me gerere eum (consulatum) coegeritis nec ego mores vestros ferre nec vos meum imperium perpeti poteritis."

Caput XXIX. Gellius IX, 11, 1, refert nullam discrepantiam exstare inter scriptores, qui de Valerii Corvini facinore egerint. Attamen una res est eaque parvi momenti, quae apud Dion. Cass. fr. 34 et Eutr. II, 6, aliter narratur atque apud reliquos scriptores. Apud hos corvus in Valerii galea consedit, apud illos in dextro bracchio sedem capit. Unus Pseudo-Victor corvum ab oriente advolasse refert. Livii tamen auctorem idem narrasse veri simile est. Nam apud Livium Valerius corvum praepetem appellat. Teste Hygino apud Gell. VII, 6, 3, praepetes aves ab auguribus appellantur, qui aut peropportune praevolant aut idoneas sedes capiunt. Deinde Cic. de div. I, 39, 85 et Schol. ad Hor. Od. III, 27, 12, docent ab ortu solis corvos bona omina esse. Apud Livium VII, 26 et Eutr. l.l. Valerio Corvus, apud ceteros scriptores Corvinus cognomen inditur [1]). A. Schottus (in loco) ostendit Corvi nomen postea in Corvinum depravatum esse.

De seditione, de qua Pseudo-Victor in capitis fine agit, his verbis disputat Livius VII, 42, 7: »adeo nihil praeterquam seditionem fuisse eamque compositam inter antiquos rerum scriptores constat". Quae seditionis causa fuerit Livius non manifestis verbis exponit, attamen in uno fontium, quos Livius adhibuerit, eandem causam, quam apud Pseudo-Victorem, traditam fuisse veri simile faciunt verba, quae apud Liv. VII, 38, 7 milites dicunt: »An aequum esse dediticios suos illa fertilitate atque amoenitate perfrui, se militando fessos in pestilenti atque arido circa urbem solo luctari aut in urbe insidentem labem crescentis in dies fenoris pati". Alio loco VII, 39, 10 milites »de imperatore sumendo sententiis decertant,

1) Ipse Liv. VII, 32, 15. 40, 3 de Corvino agit.

nulli ex praesentibus satis fidentes: — — quem patrum aut plebis esse — — cui ex iniuria insanientis exercitus causa recte committatur?" Libentissime facio cum Weissenbornio, qui huic loco haec adscripsit: »Verba apud Livium obscura sunt; nam de iniuria, a militibus accepta, non egit Livius; apud auctorem eius fortasse ea verba ad grave aes alienum pertinebant. Cf. 38, 7." Neque Livius de sublato aere alieno mentionem fecit, attamen rettulit se apud quosdam auctores invenisse L. Genucium tribunum plebis tulisse ad plebem ne fenerare liceret (VII, 42, 1). Quae Pseudo-Victor de hac seditione tradidit plane congruunt cum iis, quae apud Appianum Samn. fr. 1 legimus.

Caput XXX. Fere omnia, quae scriptores de clade Caudina rettulerunt, inter se congruunt, pauca tamen sunt, quae apud omnes non eodem modo traduntur. Pseudo-Victorem et Ampelium 20, 10. 28, 2 Pontium, Samnitium ducem et Pontium Telesinum, Marii socium, inter se confudisse iam supra (p. 48) exposuimus. Omnes scriptores, qui hac de re egerunt, consulibus insidias structas esse tradiderunt; qui autem homines in insidiis collocati sint nemo nisi Livius IX, 2, 2 et Pseudo-Victor memoravit. Livius tamen refert milites decem pastorum habitu, pecora pascentes, ad Calatiam, ubi Romana castra essent, missos esse, apud Pseudo-Victorem Pontius simulatos transfugas ad Romanos mittit. In iis, quae Pseudo-Victor de viis, quae ad Luceriam ferebant, tradit, arte cohaeret cum Livio IX, 2, 6: »altera (via) praeter oram superi maris patens apertaque sed quanto tutior tanto fere longior, altera per Furculas Caudinas brevior." Apud Liv. IX, 3, Pontii pater, postquam bis per nuntium consultus est, a filio in consilium accitur; App. Samn. fr. 4 et Pseudo-Victor patrem statim arcessitum esse ad exponendum, quid censeret, nullo nuntio ad eum consulendum misso, referunt. Multis verbis Liv. IX, 5 exposuit pacem Caudinam non, ut vulgo credant Claudiusque etiam scripserit, foedere sed per sponsionem factam esse. Cum Pseudo-Victore Cic. de off. III, 30, 109. de inv. II, 30, 91, Val. Max. VI, 1, 9, Gell. XVII, 21, 36, Flor. I, 11, 12, Oros. III, 15, 7, App. Samn. 4, Zon. VII, 26 de foedere Caudino

agunt. Admonendum est etiam in Epitome Livii libri IX de foedere Caudino mentionem factam esse.

Caput XXXI. Quam nelegenter Pseudo-Victor auctorem excerpserit initium huius capitis ostendit. Papirium Cursorem consulem facit, de Fabii magistratu tacet; capite sequente Fabius magister equitum appellatur, Papirius igitur dictator est. Omnes alii scriptores Papirium dictatorem, Fabium magistrum equitum fuisse tradunt et Livius, qui in hac re narranda multos auctores habuisse videtur (Cf. VIII, 30, 7), non memoravit annalium scriptores quosdam Papirium consulem fecisse. Itaque nulla est causa cur putemus Pseudo-Victorem hoc capite alio auctore niti, quo capite sequente, immo errori eius tribuendum est, quod hoc capite a ceteris scriptoribus discrepat.

Cum Livius VIII, 30, 1 de incertis ominibus agat, Pseudo-Victor omina adversa esse asseverat. Et Pseudo-Victor et Eutropius II, 8 Papirium, quum Romam regressus esset, Fabio edixisse, ne cum hoste pugnaret, tradiderunt; contra Livius VIII, 30, 2 id factum esse, cum Papirius Romam proficisceretur, narravit. Fortasse Pseudo-Victor et Eutropius neglegentius quod actum est rettulerunt. Quae de pugna, quam absente dictatore commisit Fabius et de iis rebus, quae post pugnam reverso Papirio facta sunt, tradit Pseudo-Victor, congruunt cum iis, quae apud Liv. VIII, 30—37 narrantur. Attamen apud Liv. VIII, 34, 1 legimus cum Fabio tribunicium auxilium quidem stetisse sed tribunos, intercedere non ausos, dictatorem orasse, ut Fabio veniam daret. Apud Pseudo-Victorem legimus: »nec supplices tribuni tuebantur." Fortasse recte iudicavit Schroeterus, qui haec verba ita interpretatus est: »tribuni auxilium ei ferre non potuerunt."

Quae de Praenestino praetore Pseudo-Victor rettulit, conveniunt cum iis, quae apud Liv. IX, 16, 17. 18, Plin. Nat. Hist. XVII, 81, Dion. Cass. fr. 36, 24 legimus. Unus tamen Pseudo-Victor Papirium praetorem gravissime increpantem facit.

Caput XXXII. Hoc capite non uno loco Pseudo-Victor a ceteris scriptoribus discrepat. Primum Fabium ob virtutem Maximum appellatum esse unus Pseudo-Victor tradit, ceteri scrip-

tores (Liv. IX, 46, 14, Val. Max. II, 2, 9, Ampel. 18, 6) eum idcirco Maximum dictum esse referunt, quod libertinos in tribus urbanas coniecisset (Cf. supra. p. 42).

Livius VIII, 39, 15 narrat Q. Fabio L. Fulvio consulibus dictatorem A. Cornelium Arvinam de Samnitibus triumphasse [1]); sequente capite ita disputat Livius: »Hoc bellum a consulibus bellatum quidam auctores sunt eosque de Samnitibus triumphasse; Fabium etiam in Apuliam processisse et inde magnas praedas egisse" [2]). Cum his Livii auctoribus congruunt Fasti Capit. C. I. L. I. p. 456, qui Fabium de Samnitibus et Apulis, Furium de Samnitibus triumphasse memorant. Cum iisdem auctoribus facere videtur Pseudo-Victor, qui Fabium de Àpulis et Lucerinis [3]) triumphasse tradit. De secundo Fabii triumpho, quem Pseudo-Victor memoravit, tacent omnes scriptores. Apud Liv. IX, 22, 23 legimus Fabium dictatorem cum Samnitibus pugnasse, sed eum de iisdem triumphasse nemo scriptor *nisi* Pseudo-Victor tradidit [3]). At supra vidimus Pseudo-Victorem saepius in virorum illustrium rebus gestis enarrandis, de triumphis ab iis actis mentionem fecisse, ubi ab iis feliciter quidem pugnatum sed triumphi honos iis non tributus sit (Cf. p. 12). Admonendum tamen est et Livium IX, 40, 20 et Fastos Capit. C. I. L. I. p. 456 eum iterum de Etruscis triumphasse rettulisse. Ubi de tertio Fabii triumpho egit Pseudo-Victor errorem commisit, quum Fabium ad Sentinum cum Marsis, non

---

1) Cf. Zon. VII, 26. p. 363. II.

2) Veri simile est de hoc Fabii triumpho primum actum esse in Fabii Pictoris annalibus. Cf. Liv. VIII, 40, 3: „nec facile est aut rem rei aut auctorem auctori praeferre, vitiatam memoriam funebribus laudibus reor falsisque imaginum titulis, dum f a m i l i a a d s e q u a e q u e famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio trahunt".

3) Cum multis viris doctis pro N u c e r i n i s L u c e r i n i s legendum esse puto.

3) Duae de pugna ad Lautulas commissa narrationes apud antiquos scriptores fuerunt. Liv. l.l. Fabium primum cum Samnitibus ad Lautulas ancipiti proelio dimicasse, deinde brevi post eos profligasse refert; contra Diod. Sic. XIX, 72 Fabium ibidem a Samnitibus victum esse tradit, de qua clade quidam quoque Livii auctores mentionem fecerunt (Cf. Liv. 23, 5: „invenio apud quosdam adversam eam pugnam Romanis fuisse atque in ea cecidisse Q Aulium magistrum equitum.").

cum Samnitibus pugnantem fecerit; ipse tamen 27, 2 recte populos enumeravit, qui in Sentinate agro pugnaverunt et hic congruit cum Liv. X, 21, 12, Front. Strat. I, 8, 3, Ampel. 18, 6, Oros. III, 21. (Diod. Sic. XXI, 6 de Samnitibus, Etruscis et Gallis et aliis sociis egit.) Non praetereundum Livium IX, 30, 8 et Fastos Capit. C. I. L. I. p. 456 Fabium post pugnam Sentinatem de Gallis, Etruscis, Samnitibus triumphasse rettulisse, de Umbris plane tacuisse. [1])

Parum accurate et Pseudo-Victor et Ampelius 18, 6 Fabium libertinos tribubus movisse tradiderunt; contra Livius IX, 46, 14 et Val. Max. II, 2, 9 libertinos in quattuor tribus urbanas coniectos esse rettulerunt.

Beckerus, Ant. Rom. II, 2, p. 194. adn. 475, rectissime ostendit Victorem errasse, ubi Fabium iterum censorem fieri noluisse tradiderit. Quae hac de re Pseudo-Victor rettulit, ad Marcium Rutilum pertinent, de quo Liv. XVII, 22, Val. Max. IV, 1, 3, Plut. Cor. 1, egerunt. Equitum transvectionem a Fabio institutam esse praeter Pseudo-Victorem soli Liv. IX, 46, 15 et Val. Max. II, 2, 9 tradunt. Unus tamen Pseudo-Victor eos a b a e d e H o n o r i s in Capitolium transvectos esse refert [2]). Quae de honoribus, Fabio mortuo habitis, memorat Pseudo-Victor, apud nullum alium scriptorem legimus. Quare v. d. Du Rieu, de gente Fabia, p. 285 putat Pseudo-Victorem Fabii Rulliani funus cum Fabii Cunctatoris funere confudisse. Plut. Fab. 27 enim et Val. Max. V, 2, 3 tradunt Fabio Cunctatore mortuo populum »aes contulisse, quo maior ac speciosior funeris eius pompa duceretur". Attamen de visceratione et epulis, quas filius populo dedit, et Plut. et Val. Max. tacent.

Caput XXXIII. Difficillimum est diiudicatu, quos auctores Pseudo-Victor hoc capite secutus sit. Nemo enim scriptor, qui historiam Curii et aequalium eius copiosius descripsit, nobis superstes est; ea autem, quae de his temporibus ad nostram notitiam pervenerunt, passim apud scriptores inveniuntur. Triumphus, quem M' [3]) Curius Den-

1) Cf. Nieb. Hist. Rom. III. p. 453.

2) Cf. Beck. Ant. Rom. II, 1. p. 264.

3) Codices omnes exhibent Marcum Curium, sed librariorum errore M' facile in M mutari posse nemo non mihi concedet.

tatus de Samnitibus egit, commemoratur apud Liv. Ep. libr. XI, Eutr. II, 9, Cic. Cat. mai. 16, 55, Apul. Apol. ed. Bosscha, p. 431. Quae Pseudo-Victor de Samnitibus usque ad mare superum perpacatis et de victoriae magnitudine rettulit, confudit cum iis, quae ad bellum, cum Sabinis gestum, pertinent [1]). Flor. I, 10, 2 de hac Sabinorum clade ita disputat: »Sed Curio Dentato consule omnem eum tractum, qua Nar, Anio, fontes Velini, Hadriano tenus mari igni ferroque vastavit. Qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum est in potestatem, ut in utro plus posset nec ipse posset aestimare qui vicerat". Idem Orosius III, 22, 11 tradit: »Anno subsequente cum Sabinis Curio consule bellum gestum est, ubi quot milia hominum interfecta, quot capta sint, ipse consul ostendit, qui cum in senatu magnitudinem adquisiti agri Sabini et multitudinem capti populi referre vellet, numerum explicare non potuit" (Cf. Dio. Cass. fr. 37). Praeter hos scriptores, quos supra enumeravi, Liv. l.l., Front. Strat. I, 8, 4 hunc triumphum de Sabinis actum commemorant. Unus Pseudo-Victor Curium de Lucanis ovasse refert. [2])

Nemo scriptor nisi Pseudo-Victor quaterna dena iugera viritim divisa esse tradidit, contra Plin. Nat. Hist. XVIII, 18, Val. Max. IV, 3, 5, Colum. praef. 14 septena tantum iugera commemorant. Curium ipsum tot iugeribus, quot ceteri accepissent, contentum fuisse, praeter eos scriptores, de quibus modo egi, Front. Strat. IV, 3, 12 tradidit.

Pseudo-Victor non discrepat a ceteris scriptoribus, ubi de responso agit, quod Curius legatis Samnitium, qui ei aurum obtulerant, dedit. Soli Pseudo-Victor et Plin. Nat. Hist. XVI, 185 rettulerunt Curium, interversae pecuniae accusatum, iurasse se ex praeda nihil attigisse nisi cadum ligneum, quo sacrificaret. De aqua Aniene praeter Pseudo-Victorem unus Front. de aquaeduct. I, 6 egit: »Anienis... aquam perducendam in urbem ex manubiis de Pyrrho captis locavit (Curius)".

Ubi Pseudo-Victor ea tradit, quae Curius tribunus plebis egit, arte cohaeret cum Cic. Brut. 14, 55:... »M' Curium, quod is

1) Cf. Pauly. Realenc. II. p. 784.
2) Nieb. Hist. Rom. III. p. 510.

tribunus plebis, interrege Appio Caeco, diserto homine, comitia contra leges habente, cum de plebe consulem non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit". Livius X, 11, 9, hac de re nihil tradidit, apud quem non Appius Claudius interrex, sed successor eius, P. Sulpicius, comitia consularia habet. Deinde C. Licinius Macer et Q. Aelius Tubero apud Liv. X, 9, 10 Fabium hoc anno aedilem fuisse referunt, id, quod Livius X, 9, 13 prorsus negat.

Praeter Pseudo-Victorem unus Festus s. v. Tifata Curium apud Tifatam domum habuisse tradit. Quinquaginta iugera agri Curio publice data esse soli Pseudo-Victor et Val. Max. IV, 3, 5, manifestis verbis narraverunt, Front. Strat. IV, 3, 12 autem et Plin. Nat. Hist. XVIII, 18 id non ignorasse videntur.

Caput XXXIV. Hoc capite Pseudo-Victor neglegentissime quae facta sunt exposuit. Iam ipso capitis initio errorem commisit, ubi libertinos ab Appio censore in senatum lectos esse narrat. Livius IX, 46, 10 et Diod. Sic. XX, 36 libertinorum liberos memorant; Suet. Claud. 24 libertinorum nepotes in senatum lectos esse refert, »temporibus enim Appi et deinceps aliquandiu libertinos dictos non ipsos, qui manu emitterentur, sed ingenuos ex his procreatis" asseverat. At Pseudo-Victor hanc significationem eius verbi cognosse non videtur, omnibus enim locis, ubi de libertinis agit (32, 2. 36, 3. 57, 3. 72, 5), hoc nomine eos appellat, qui ipsi manu missi sunt.

Appium tibicinibus epulandi decantandique ius ademisse Pseudo-Victor narrat. De eadem re egerunt Liv. IX, 30, 5. seq., Val. Max. II, 5, 4, Ov. Fast. VI, 649—710, Plut. Quaest. Rom. 55. Si verba »in publico" ad epulandi ius quoque pertinent, errat Pseudo-Victor, nam ex Livio et Val. Max. l.l. constat eos in aede Iovis cenare solitos esse (Cf. Cens. de die nat. c. 12). Liv. et Val. Max. narrant iis ius tantum in aede Iovis epulandi ademptum esse; contra Ovid. l.l. 661 has tibicinum exilii causas tradit:

»tempusque secutum
Quod subito Graiae frangeret artis opus.
Adde quod aedilis, pompam qui funeris irent,
Artifices solos iusserat esse decem".

Itaque de iure in publico decantandi adempto nemo scriptor nisi Pseudo-Victor egit. At hic res neglegentissime inter se confudisse videtur Pseudo-Victor. Constat enim postea iis, qui sacris praecinerent, datum esse, ut triduum quotannis ornati cum c a n t u per urbem vagarentur (Cf. Liv., Ov., Val. Max., Plut. l.l.).

Appium Potitios [1]) permovisse, ut sacra Herculea servos publicos docerent praeter Pseudo-Victorem Liv. IX, 29, 9, Val. Max. I, 1, 17, Masurius Sabinus apud Macr. Sat. III, 6, Fest. v. Potitium, Serv. ad. Aen. VIII, 269 [2]) tradunt. Qui omnes praeter Liv. et Val. Max. Appium Potitios pecunia corrupisse narrant.

Iam superiore capite vidimus Appium interregem restitisse ne consul ex plebe crearetur. Eodem modo Appius apud Liv. X, 15, 8, egit, ubi Q. Fabio consule creato »non sui magis honoris causa, quam ut patricii recuperarent duo consularia loca, cum suis tum totius nobilitatis viribus incubuit, se cum Q. Fabio consulem dicerent." Ubi Pseudo-Victor tradit Appium dissuasisse ne Fabius solus ad bellum mitteretur, congruere videtur cum Livio IX, 42, 2, apud quem legimus senatum Fabii proconsulare imperium prorogasse, maxime Appio adversante.

De bellis ab Appio cum Samnitibus et Etruscis gestis Liv. X, 18. 19. 31, 3—8 quoque egit. Appium Sabinos bello domuisse Pseudo-Victor et Titulus apud Momms. C. I. L. I. p. 287 soli tradunt (Cf. supra p. 8).

De via Appia plures scriptores egerunt, sed nemo nisi Pseudo-Victor viam ab Appio usque ad Brundisium stratam esse rettulit. Diod. Sic. XX, 36, Procop. de bello Goth. I, 14, Front. de aquaeduct. 5, illam viam usque ad Capuam tantum stratam esse narrant. Quando haec via usque ad Brundisium perducta sit non constat; Strabonis tamen aetate via Appia usque ad hanc urbem munita fuit (Cf. Strab. VI, 3. p. 50. T. V, 3, p. 377. T.) Iam supra exposuimus Pseudo-Victorem hoc loco in

---

1) Libentissime facio cum Keilio l.l. p. 116, qui coniecit verba „duae familiae ad Herculis sacra sunt destinatae, Potitiorum et Pinariorum" e textu eicienda esse.

2) Serv. ad Aen. VII, 69 minus recte Pinarios nominat.

rebus describendis, suae aetatis rationes antiquis temporibus perperam attribuisse (Cf. supra p. 8).

Aquam, quam Appius in urbem introduxit, prave Anienem vocat Pseudo-Victor; Front. et Diod. Sic. l.l. de aqua Appia agunt, Eutr. II, 9 aquam Claudiam memorat, Liv. IX, 29, 6 et Cic. pro Coel. 14, 34 nomen omittunt. Cum Livio IX, 33, 4. 34, 6 Pseudo-Victor narrat Appium per quinquennium censuram gessisse. Appium Claudium prohibuisse, quominus pax cum Pyrrho componeretur, apud plures scriptores legimus (Cf. Liv. Ep. libr. XIII. Plut. Pyrrh. 18. 19, Cic. Cat. mai. 6, 16, Val. VIII, 13, 5, Flor. I, 13, 20).

THESES.

THESES.

I.

Hom. Od. III, 40.

δῶκε δ' ἄρα σπλάγχνων μοίρας, ἐν δ'οἶνον ἔχευεν χρυσείῳ δέπαϊ.

Legendum: *ἐνέχευε δὲ Ϝοῖνον.*

II.

Hom. Od. VI, 266.

Ἔνθα δέ τέ σφ' ἀγορή, καλὸν Ποσιδήϊον ἀμφίς.

Scribendum: *Ἔνθαδέ τέ σφ' ἀγορή.*

III.

Herod. VII, 24.

τοῖσι δὲ αὐτοῖσι τούτοισι, τοῖσί περ καὶ τὸ ὄρυγμα, προσετέτακτο καὶ τὸν Στρυμόνα ποταμὸν ζεύξαντας γεφυρῶσαι.

Verbum: *ζεύξαντας* eiciendum est.

IV.

Xen. Hell. II, 3, 28.
μάλιστα δ' ἐξορμήσας ἡμᾶς τοῖς πρώτοις ὑπαγομένοις εἰς ἡμᾶς δίκην ἐπιτιθέναι.
Pro εἰς ἡμᾶς lege εἰς ὑμᾶς.

V.

Xen. Mem. I, 4, 6.
ὡς δ' ἂν μηδὲ ἄνεμοι βλάπτωσιν, ἠθμὸν βλεφαρίδας ἐμφῦσαι.
Ante ἠθμὸν »ὡς" excidit.

VI.

Lysias. 31, 9.
καὶ ἐν 'Ωρώπῳ [μετοίκιον κατατιθεὶς] ἐπὶ προστάτου ᾤκει βουληθεὶς παρ' ἐκείνοις μετοικεῖν μᾶλλον ἢ μεθ' ἡμῶν πολίτης εἶναι.
Eice verba, quae uncinis inclusi.

VII.

Dio Cass. fr. 29, 1.
ὅτι ἡ 'Ρούφου γυνὴ χιλιαρχοῦντος ... ἐξεταράχθη.
Scribendum: ἡ γυνὴ 'Ρούφου (Cf. diss. p. 76. adn. 5).

VIII.

de Vir. ill. 4, 1.
Tullus Hostilius, quia bonam operam adversus Sabinos navaverat, rex creatus, bellum Albanis indixit.
Legatur: Tullus Hostilius, nepos Hostilii, qui bonam operam adversus Sabinos navavit. (Cf. diss. p. 60. adn. 1).

IX.

de Vir. ill. 5, 2.

Aventinum et Martium / ad Murtium montes urbi addidit.

Legendum: Aventinum ad Murciae montem urbi addidit. (Cf. diss. p. 61).

X.

de Vir. ill. 22, 3.

Ubi per mollitiem maris anguis proximum Aesculapii fanum petiit.

Scribendum: ubi per moles maris. (Cf. diss. p. 78).

XI.

Iniuria Editores de Vir. ill. 19, 3 et 81, 1 verba »Tito Tatio" in »Atto Tullio" mutaverunt.

XII.

Nomen Flaminius apud Ampel. 16, 3. 44. 47, 1 non cum Woelfflino in Flamininum mutandum est.

XIII.

Flor. I, 4, 2.

Igitur et muro moenia amplexus est.

Legendum: muro Ianiculum amplexus est. (Cf. diss. p. 61. adn. 2).

XIV.

Apud Flor. I, 6, 9 verba: »spolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium triumpho reportata" post »sed habitus ille feralis eversionis omen fuit" scribenda sunt. (Cf. diss. p. 83. adn. 1).

XV.

Verg. Geo. IV, 125, sqq.

Namque sub Oebaliae memini me turribus altis,
Qua niger umectat flaventia culta Galaesus,
Corycium vidisse senem.

Pro niger scribatur piger.

XVI.

Verg. Aen. II, 496, sqq.

Non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exit oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo camposque per omnis
Cum stabulis armenta trahit.

Pro sic legendum est secus.

XVII.

Prop. III, 17 (II, 23), 21, sqq.

Et quas Euphrates et quas mihi misit Orontes
Me capiant: nolim furta pudica tori.
Libertas quoniam nulli iam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare volet.

Pro quoniam lege nuptam, pro nullus illas.

XVIII.

Prop. I, 18, 21.

A quotiens teneras resonant mea verba sub umbras.

Emendandum: gelidas.

XIX.

Tib. I, 6, 71.

Et siquid peccasse puter, ducarque capillis
Inmerito pronas proripiarque vias.

Pro pronas scribendum pronus.

XX.

Ov. Trist. I, 4, 9.

Pinea texta sonant, pulsi stridore rudentes.

Recipienda est Merkelii coniectura, qui hunc versum ita legendum esse censet:

Pinea texta sonant pulsu, stridore rudentes.

XXI.

Cic. pro Rosc. Amer. 28, 78.

Quid facitis? cur recusatis? Dubitate etiam nunc, iudices, si potestis, a quo sit Sex. Roscius occisus.

Pro facitis scribatur tacetis.

XXII.

Cic. pro Rosc. Amer. 29, 80.

Interdum mihi videris, Eruci, una mercede duas res adsequi velle, nos iudicio perfundere, accusare autem ipsos, a quibus mercedem accepisti.

Legendum »iudicio pessundare".

XXIII.

Cic. pro Rosc. Amer. 29, 80.

Quid postea? Nescimus per ista tempora eosdem fere sectores fuisse collorum et bonorum?

Ante nescimus »an" excidit.

XXIV.

Cic. pro Rosc. Amer. 52, 151.

Di prohibeant iudices, ut hoc, quod maiores consilium publicum vocari voluerunt, praesidium sectorum existimetur.

Pro publicum scribendum iudicum.

XXV.

Sp. Mummius non inter decem legatos fuit, qui Corintho capta in Graeciam missi sunt.



TYPIS E. J. BRILL.